

Bibliothèque numérique

medic@

**Fabricius Hildanus, Wilhelm. De
Combustionibus quae oleo et aqua
fervida, ferro candente, pulvere
tormentario, fulmine ...**

Basileae, sumpt. L. Regis, 1607.

Cote : 32649 (2)



(c) Bibliothèque interuniversitaire de médecine (Paris)

Adresse permanente : <http://www.bium.univ-paris5.fr/hist/med/medica/cote?32649x02>

GVILIELMI FABRICII
HILDANI CHIRURGI
DE
COMBUSTIONIBUS,
*quae oleo et aqua
fervida, ferro candente, pulvere tormen-
tario, fulmine, & quavis alia
materiâ ignitâ fiunt*


LIBELLUS:
IN QUO DIFFERENTIAE,
SIGNA, PROGNOSTICA, ET
Curatio, tum ipsarum combustionum tum
omnium ferè Accidentium
perspicuè descri-
buntur.

Cui accessit Bustum,
In quo accensi sunt odores suavissimi memo-
riae Nobilissimi viri D. CAROLI
UTENHOVII, C.F.



BASILEAE,
Sumptibus LVDOVICI REGIS.

MDCVII



GENEROSO, VIRTUTE ET
DOCTRINA VERE NOBILISSIMO,
PRUDENTIA SUMMAQUE HUMANA-
NITATE PRAESTANTISSI-
MO VIRO

DOMINO

SEBASTIANO AB HATZ-
FELT, DOMINO IN
WILDENBERG CRO-
TORFF.&C.

LITERATORUM PATRO-
NO MAXIMO

DOMINO SUO BENI-
GNISSIMO

hunc

DE COMBUSTIONIBUS
TRACTATUM

Grati animi & perpetuae obser-
vantiae monumentum

GVIL. FABRICIUS HIL-
DANUS

offert, consecratq;

EPISTO.



EPISTOLA DEDICATORIA.

Vemadmodum ex minima scintilla GENEROSE DOMINE, sapissimè ingentem flammam & incendium maximum, quod pagos & oppida integra consumit, excitari videmus: Sic non raro ex affectu levissimo, qui & prima fronte nullius momenti videbatur, morbum diuturnum, imò etiam incurabilem, & lethalem procedere, usu atque experientiâ indies edocemur.

Quid enim quaso Acaro levius ac virilius corpori humano accidere posset? Attamen ex eo alterum interyisse, alterum verò quasi ex Cymba Charontis ereptum fuisse, in meis Observationibus annotavi. Hujus autem rei causa, aut ex parte aegri, aut ex parte Chirurgi, accidit. Ex parte Aegri; quando corpus pravis humoribus, aut sanguine, vel quantitate vel qualitate peccante, refertum est, neque ager consilio

)(2

EPISTOLA

Medici obtemperare, neque illam, quam deberet, victus rationem observare velit. Tunc enim ex minimo quolibet affectu externo commoti humores ad partem affectam, cum impetu confluunt, ac primo quidem dolorem ac inflammationem, mox febrim, aliâq; graviora symptomata excitant. Vnde non immerito morbi hi, à vitiosis ac pravis humoribus orti, à Gal. Method. med. lib. 4. & alibi, inter morbos magnos numerantur.

Ex parte verò Chirurghi, fiunt ex affectibus levissimis morbi magni, aut etiam lethales, quando is exactam artis cognitionem non habuerit, aut in curando negligens fuerit. Cùm enim OCCASIO PRÆCEPTS, ut rectè monuit Hippocrates, ac materia, circa quam versatur Ars, ut Galenus docet, continuò fluat, corpusq; nostrum mutationibus obnoxium, & tum à causis intrinsecis, tum extrinsecis facilimè alteretur, temporis habenda est ratio, ne Occasio hac aut illa circa egrum facienda, pratereat. Summa igitur in Chirurgo diligentia, vigilantia & sobrietas requiritur. Præterea ad exactam
artis

DEDICATORIA.

artis cognitionem, simplicem aliquam habere notitiam, aut externorum affectuum curandorum experientiam, videlicet vulnera curare, luxata aut confracta ossa reponere, aut calculum extrahere, Chirurgo haud sufficiet, sed ut alterum oculum ad interna viscera, alterum verò ad externum affectum, fixum insuper habeat, necesse est. Nisi enim recta agro praescripta fuerit victus ratio, corpusq; à pravis humoribus, si Cacochymia, aut sanguine, si Plethora adsit, expurgatum fuerit, ex minimo quolibet affectu externo, morbus magnus aut lethalis expectandus erit: humores enim ex corpore doloris vi, ad locum affectum impetu conflunt attrahunturq; Galeno attestante. Hanc autem cognitionem non ex simplicissima aliqua experientia, multo minus ex traduce de patre in filios, ut pleriq; gloriantur, sed ex Hippocratis, Galeni, aliorumq; probatissimorum Medicorum atque Chirurgorum monumentis haurire licet. In primis verò in admiranda illa & divina structura humani corporis, ut notitiam non superficialiam habeat Chirurgus, necesse est. Sed proh do-

EPISTOLA

lor, quamplurimi hodie exercent hanc artem tam nobilissimam, tamq̃ à vetustissimis Imperatoribus & Regibus celebratam, aliarumq̃ omnium artium dignissimam habitam, qui vix quisnam Hippocrates aut Galenus fuerit, sciant, imò nec vernaculam suam linguam legere noscāt.

At quia Ignorantia homines impudentes & audaces efficit, qui quamvis in morbis curandis methoam nullam observent, liberrima tamen & impudentissimā audaciā multa promittunt, multaq̃ de morborū constitutionibus blaterant. Quādoquidem

Insapienti inest major jactantia menti,
Vas etenim pleno tinnit inane magis.

Nunc hepar & pulmones consumptos putrefactosq̃ esse. Sed illos in integrum posse restituere, se jactant, Nunc calculum, marmoris instar, licet induratum, absq̃ periculo posse conterere, & expellere, multaq̃ alia vana & impossibilia promittunt, Sed ut & aliquid agere videantur, hic colocynthide, ille antimonio vel simili medicamento acri humores educit, decoctum ligni guajaci exhibet, aut membra levissima aliqua

DEDICATORIA.

aliqua scabie aut dolore affecta, hydrargi-
ro inungit, à quibus medicamentis sic im-
prudenter, & citra judicium exhibitis &
applicatis, sæpius agrotis plus accedit pe-
riculi, quàm à morbo ipso. Interim, (quod
caput rei est) pecuniam simul emungunt.
Hinc apud illos augetur divitia, augeturq;
apud vulgus eorum aestimatio & authori-
tas, adeo ut tandem eruditi atq; exercitati
Medici ac Chirurghi, qui juventutem mul-
tis vigilijs multisq; laboribus ad Artem ex
veris fundamentis addiscendam, consump-
serunt, contriveruntq;, non solum à ple-
beis frequenter, verum etiam à magnati-
bus sæpè negligentur. Tàm depravatam est
ætatis hujus exulceratissimum sæculum.
Mirum itaq; non est, si sæpius ex mini-
mis quoq; & levissimis externis affectibus,
gravissimi, imò & lethales oriantur mor-
bi, si item curationes sinistrè succedant, si
deniq; tot homines ab hujusmodi imperi-
torum barbitonforum, seplasiariorum, Ju-
deorum ac carnificum fænore truciden-
tur, aut ad minimum ad summam mise-
riam, & membrorum suorum impoten-
tiam, redigantur. Hanc porrò imperitiam

)(4

EPISTOLA

& ignorantiam artis, per sepe barbitonfo-
 res, aliosq; Chirurgiam exercentes à natu-
 rali, & à Deo constituta via, morbos cu-
 randi per remedia licita, abstraxisse, atq;
 ad illicita, diabolica & superstitiosa media
 rapuisse, observavi, quorum nonnullos co-
 gnovi, qui ad hominum morbos curandos,
 conjurationibus, S. S. Scripture vocibus,
 vel conceptis, & collo suspensis verbis ute-
 bantur: Alios, qui ad vulnera curanda,
 non vulnus ipsum curabant, sed lapidem,
 cultrum, gladium, aut baculum, qui vul-
 nus influxerat, deligabant atq; fasciabant.
 Quam curationem dicant illi, quicquid
 velint, illicitam tamen, magicam, & planè
 diabolicam esse, quin etiam tum in sacris,
 tum Patrum scriptis vetitam, testantur
 viri graves. Merito itaq; in Republica
 Christiana benè cōstitutata, hujusmodi præ-
 stigiosi & magici Curatores, tolerandi non
 sunt. Quam ob causam sanitas à Deo,
 tum precibus supplicibus, tum adhibitis à
 Deo creatis naturalibus remedijs, petenda
 est, nec unquam malum faciendum, quem-
 admodum monet Divus Apostolus Paulus
 Rom. 3. cap. vers. 8. ut inde bona eveniant.

Quicunq;

DEDICATORIA.

Quicumq; verò ad morborum Curationes, aut preservationes caracteribus, & verbis S. S. Scriptura collo appensis, aliisq; superstiosis conjurationibus utuntur, verbo Dei abutuntur, & contra secundum praeceptum gravissimè peccant.

Porro Combustiones etiamsi non spernendae, res tamen eò devenit, ut vulgò susq; deq; habeantur, adeoq; quilibet sutor, textor, circumforaneus, & similes stupidissimi asini, illas curare nunc aggrediantur. Quae verò inde sequantur mala, quamq; jacturam sanitatis plurimi, qui superficialia combustionem herpes exedentes, & ulcera incurabilia, contrahunt, faciant, verbis hîc exponere supervacaneum videtur, cum res ipsa loquatur.

Ceterum quamvis à multis ab hinc annis methodum facilimam & tutissimam Combustiones curandi invenissem, lubensq; in Chirurgicam artem exercentium utilitatem & aegrorum salutem, typis mandassem, diu tamen suppressi, & animo suspensus fui, quid agerem, ut rectè agerem. Quandoquidem tam varia tamq; diversa

)(5

EPISTOLA

hoc tempore sunt hominum iudicia, ut qua
 uni sapiunt, alteri nauseam provocent. Ve-
 rum postpositis hisce, aliisq, nonnullis ra-
 tionibus, qua me ab instituto merito de-
 terrere potuissent, Christianâ tamen cha-
 ritate commotus, quicquid occupationibus
 meis temporis suffragari licet, id libenter in
 tyronum & egrorum utilitatem impendo.
 Faxit Deus Opt. Max. ut uberrimus inde
 fructus ad Asclepiadeam familiam redun-
 dare possit.

Hunc verò quantulumcung, laborem
 meum sub celeberrimi nominis tui patro-
 cinctio & auspicio, GENEROSE DOMI-
 NE idem in lucem dare statui: Primò, quòd
 inter viros literatos, doctrina præstantiâ,
 & ingenii acumine, non infimum tibi oc-
 cupaveris locum, & etiamnum continuò
 bonis literis incumbas, ita ut de tractatio-
 ne materie hujus non solum censuram fer-
 re, verum etiam illam, contra maledicen-
 tium morsus, si opus sit, vindicare potens
 sis. Deinde propter singularem amorem
 atq, humanitatem, quâ totum illud tem-
 poris spatium, quod Colonia trivi, me am-
 plecti

DEDICATORIA.

placiti non solum dignatus es, verum etiam
pra aliis quam plurimis viris doctis & e-
ruditis, in gravissimis quoque affectibus, ad-
hibere, valetudinemque corporis tui tuorumque
mihi committere volueris. At quum nunc
privatim locus gratias referendi, non con-
cedatur, publico hoc testimonio perpetuam
animi mei gratitudinem atque observantiam,
erga G. T. totamque familiam Hatzfeldiorum,
testari volui. Ad calcem autem libri, car-
mina nonnulla in Nobilissimi & Doctissi-
mi viri D. CAROLI UTENHOVII, æ-
ternam laudem ac memoriam à viris do-
ctis conscripta, & mihi communicata, ad-
jicere libuit, quæ te propter summum viri
hujus in te amorem, in meliorem partem
interpretaturum, confido.

Munusculum itaque hoc Chartaceum
GENEROSE DOMINE observantia
mea perpetuum monumentum pro solita
tua in me humanitate ac benevolentia,
benignè ut suscipias, summopere rogo atque
flagito. Vale GENEROSE & humanis-
sime Domine cum Nobilissima tua conju-
ge, & sobole generosissima, totaque familia

©BIUM
EPIST. DEDICATORIA.

*HATZFELDIORUM, quam, ut DEUS
OPT. MAX. diutissimè incolumem con-
servare, ac omnibus spiritalibus ac tempo-
ralibus bonis ditare dignetur, demissè
precor. Ex Musæolo nostro Machao-
nico 20. Januarij.*

1607.

Tuæ generositati addictissimus
Guil. Fabricius, Hildanus.





Eruditione Virtutis Pietatis laudi-
bus insigni Viro,

*Domino GRILIELMO FABRICIO
Hildano,*

Medico celeberrimo, Chirur-
go præstantissimo.

Dum sua Romulidæ jactaret signa per orbem:
Urbis dum sceptrum dum foret orbis idem.
Hi valido adversas peteret dum Marte phas
Servanticivem querna corona data est. (langess
Quid tibi, Christiadum servanti millia, Doctor,
Quid dignum meritis sancta caterva dabit?
Querna corona minor, minor aurea: laurea factis
Inferior, dignas non habet Indus opes.
Sed tibi præ reliquis quæ pandet dona Virtus?
Quæ tibi Mæonidum Pæonidumq; decus?
Præco tue virtutis erit, dum spiritus artus
Hos reget, & fragilem me mea membra ferent.
Debetur mea Musa tibi, mea Carmina dextræ
Debentur Medici: profuit illa mihi.
Pro quibus ut meritis reddatur gratia, laudes
Ut poterit panget parva Camæna tuas, (træ,
FABRICIO faveant, faveat pia Numina dexæ
Millia quæ è stygiis multa reduxit aquis.
Nec tantum Helvetiis quæ dextera floret in oris:
Præbet at externis scripta legenda viris.
Scripta legendis viris, quæ Phœbo pectora forment,
Pæomo famulos adjuciantq; Choro.

Jam

Jam sileant fratres Podalirius atq; Machaon:
Nam nostro auxilium majus in orbe viget.
Tu nunc invidia major, GUILIELME, triumphas,
Ingenio referens præmia digna tuo.

Nicolaus Viretus
Thononienfis.

In Thesaurum Vulcanium
G.F.Hildani.

Quis novus in lucē iam prodit, amice, libellus
Hic Latia nobis lingua, quem scripsit acutē
Fabrici? & valida thesaur' hic est Medicinæ
Vulnera sanantis, tibi quæ intulit ustio quævis.
Nam seu vulgaris casu te læserit ignis,
Seu quæcumq; ab eo sumpsit substantia vires
Lædendi, veluti ferrum, & quodcumq; metallum
Et liquidum quodvis, nitri quoq; pulveris ardor:
Hic certam poterit monstrare viamq; modumq;
Curandi codex: meritò ut Vulcanius hostis
Inscribi possit; sive Inviolabile scutum
Hildensis Fabri, contra omnes ignipotentis
Insiectus Fabri sicula regnantis in Æthna.
Nec modò terrestris metuit Mulciber arma
Parve liber: sed & æthereo, qui mittit Olympo
Fulmina, dum antidotū insuperabile & acre paratum
Esse sibi sentit: quo informes non modò nævi
Tolluntur: verum & cruciatus quo levigantur
Ardentes, fugiantq; truces rabidiq; dolores.
Ustio præterea possit quid fervida, quidve
Frigida, quæisq; eadem curari sedulò possit

*Artibus atq; modis, charta erudièris eadem.
Tu saltem ut, caveas, urat malè conscia mens te;
Cujus ad ardores nullum medicamen in hortis
Crescit: at æternæ sequitur mala flamma gebennæ.*

Versus, qui videt hosce claudicantes
Vulcanum sciat hisce claudicantem
Tractari. nihil ergo amice mirum
Versus materiæ suæ QUADrare.
M. Quad.





GUILIELMI FABRICII
HILDANI CHIRVRGI

DE

*Combustionibus, quæ oleo & aquâ fervi-
dâ, ferro candenti, pulvere tormenta-
rio, fulmine & quavis alia mate-
riâ ignitâ, fiunt,*

Libellus:

In quo

Differentiæ, Signa, Prognostica, & Cu-
ratio, tum ipsarum combustionum,
tum omnium ferè eorum Acci-
dentium, perspicuè de-
scribuntur.

Definitio, & causa Combustionum.

CAP. I.



QUONIAM Combustio sit affectus
omnibus notissimus, attamen cla-
rioris doctrinæ gratiâ, antequàm
ulteriùs progrediamur, eum sic de-
scribemus.

Combustio est solutio continui Epidermi-
dis, & Cutis ut plurimùm, nonnunquàm et.

*Definitio
combustionis.*

A

2 GVIL. FABRICII HILD.

iam carnis musculosæ, Venarum, Arteriarum, Nervorum, &c. vi ignis impressa. Hanc autem combustionem sequuntur mox dolor acerbissimus, inflammatio, pustulæ: & si combustio profunda, corpusq; cacochymicum fuerit, facillimè degeneratur in ulcus fœtidissimum & malignū, quamprimū enim ignis, aut res ignita cutem attigerit, ratione caliditatis & siccitatis ignis, humidum radicale, ex parte illicò exiccatur: hinc cutis indurefcit, & contrahitur: quod reliquum est humoris in cute, & proximis partibus, supra modum incalescit, & acquirit naturam ignis.

Porro durities illa cutis (quia circumjacentes partes contrahit) item ebullitio humorum, & solutio continuitatis, protinūs acerbissimum excitant dolorem, ille verò ex proximis partibus ad se attrahit multos humores, qui (si combustio levis fuerit.) sub Epidermide concurrunt, eamq; quia vi ignis induruit, nec transpirationem admittit, in altum elevant, hinc fiunt pustulæ. Si autem combustio insignis fuerit, ita ut vera cutis simul læsa, in escharam indurata fuerit, tunc humores innati, & quicquid continuo ratione doloris adfluit, retinentur, & incarcerantur sub cute illa indurata, inde non solum augeatur eorum caliditas, quam ab igni acceperunt, verum etiam quicquid sanguinis & humorum ex corpore, & proximis partibus adfluit, simul incalescit, effervescit, & acrimoniam quandam acquirit, hinc fit, ut humores illi

illi

DE COMBUSTIONIB. LIBEL. 3
illi locum affectum erodāt, & ulcus magnum
efficiant.

Cæterum notandum est, quemadmodum
multiplices & diversæ occurrunt materiæ,
quibus ignis vim & Qualitatem suam impri-
mit, quæ, ut substantiâ differūt, sic etiam una
multo vehementius urit, quàm altera. Itaque
quantò durius & solidius existit lignum, aut
metallum aliquod, tantò vehementiorem in
se quoque retinet calorem. Calor item olei,
pinguedinis, ceræ, picis, sapæ ad consisten-
tiam coctæ, uti postea declarabimus exem-
plo, & eorum, quæ facile adhærent, multo est
vehementior, calore aquæ fervidæ, quando-
quidem experientia docuit, plumbum & sta-
gnum in oleo fervido liquefieri, id quod nun-
quam fiet in aqua, quantūvis in summo gra-
du caliditatis fuerit. Quando calx extingui-
tur, tunc adeo incalescit, ut non solum cutem
& carnem urat & exulceret, verum etiam cu-
tem, nervos & iuncturas violenter contrahat.
Ignis verò omnium vehementissimus & peri-
culosissimus, est ignis cælestis, sive fulminis;
continet nanque in se quasdam facultates
supernaturales, quemadmodum
suo loco expone-
mus.

A 2

*Gradus & distributio combustionum
in tres species, item ex quibus indi-
cationes curativæ
petendæ.*

CAPUT II.

QUamvis autem combustio à diversis fiat materijs, metallis & liquoribus, quemadmodum diximus, nihil tamē, vel parū id facit ad curationem. Quandoquidem combustio ferro candenti facta, similis est combustioni Auro aut argēto candenti factæ. Sic & combustiones sive oleo fervido, cerâ, pice, &c. factæ fuerint, inter se (quantum ad materiam) non differunt, neque particularem requirunt curandi methodum. Quemadmodum clariss. D. D. Laurentius Joubertus vir eximius & de Chirurgia benè meritus, testatur. Nulla igitur sumenda est indicatio curativa ex materia ignita, sed potius ab effectu quem impressit. Ut autem curatio rectè instituatur, distribuemus combustiones omnes, à quacunq; fuerint factæ, materiâ ignitâ, in tres gradus seu species, nempe in levissimâ, mediocrem & insignem. Si enim materia, quæ urit non usq; adeo diu adhæserit corpori nostro, aut levis fuerit, quemadmodum stramē, linum, stupæ, aut lignum aliquod leve, vel aqua, quæ citò defluit, tunc tantummodò elevantur pustulæ, estq; hic primus gradus seu species.

*Prima Indica-
tio ex quibus
sumenda.*

species. Si verò materia paulò diutius adhæserit, aut violentiore calore prædita fuerit, tunc non solum eleuantur pustulæ, verum etiam cutis vera suo humido radicali ex parte destituitur, & aliquo modo exiccatur & contrahitur, nondum tamen facta est eschara. Tertio si res ignita diutissime adhæserit, & violentissimum calorem in se continuerit, tunc non solum cutis, verum etiam caro, venæ, arteriæ, nervi, &c. comburuntur, contrahuntur, & in Escharam siccantur: quandoquidem humidum innatum vi ignis exiccatum & consumptum est. Sunt itaq; medicamenta mutanda & applicanda secundum has differentias, quemadmodum postea declarabimus. Secunda *2. Indicatio.* Indicatio sumitur à parte affecta: non enim unum idemq; medicamentum simul convenit oculo, membro virili, nervo, iuncturis, carni musculosæ, &c. Mulieres item, pueri & qui exquisito sensu præditi sunt, debiliora requirunt medicamenta; contra verò fortiora, qui duram habet carnem, & robustiores sunt homines, ut Galenus rectè admonuit: Ex hac descriptione & distributione combustionum facile apparet curandi methodus, quam nos postea tribus capitibus, prout combustio-

De arte curat. ad Glan. con. lib. 2. cap. 9.

nes in tres species distribuimus,

Deo dante declarabimus.

A 3

Signa, quibus tres illi gradus combustionum cognoscendi & distinguendi.

CAPUT III.

*Signa primæ
speciei combustionis.*

*Signa secundæ
speciei.*

Q Via combustiones in tres divisimus species vel gradus, ac deinceps ad uniuscujusque speciem propria præscripturi sumus remedia, necesse est, ut quomodo eæ signis & notis distinguendæ sint, declaremus. Signa itaque primæ speciei, sive levissimæ combustionis hæc sunt: cutis rubicunda, dolor acerbissimus & pungitivus, non aliter, ac si cutis semine urticæ fricata esset. Mox, (nisi citissimè occurratur ægro remedijs aptis) inflatur locus, & elewantur pustulæ, in quibus aqua clara & alba continetur, tandem quoque Epidermis separatur. Ex circumstantijs quoque cognoscitur combustio levis, nimirum rem ignitam levem fuisse, quemadmodum stramen, linum, stupæ, & similia: aut statim defluxisse, ut aqua fervida, vel corpus exiguo momento attigisse. Contrà verò in altera specie, res ignita aliquandiu corpus attingit, vel vehementiorem in se habuit calorem, quemadmodum ferrum ignitum, aut metallum aliquod liquefactum, lignum durissimum, pix, oleum, cera, vel simile quid. Hinc fit, ut pars illicò inflatur, rubescat, doleat, urat, & ipso momento pustulæ eleventur, in quibus conti-

continetur aqua subtilis, & flavescent, ægerq; de tensione cutis conqueritur: est enim vi-
gnis contracta atque tensa. In ultima verò specie, ipso quoque momento, dum res ignita adhæret corpori, eleuantur pustulæ, sed illicò *Signa terria*
denuò concidunt, eo præcipuè loco, in quo *speciei.*
combustio insignis & vehemens est: subiecta verò cutis nigra, vel saltem livida conspicitur, & obtusè sentit, si scalpello pungatur, est enim dura, & exiccata crusta, ea cum deciderit, remanet ulcus profundum, & putridum. Ex natura rei ignitæ, & spacio, quo corpori ad-
hesit, combustio insignis cognoscilicet.

Porro quamprimum Chirurgo occurrit combustio, inquiret ad quamnam speciem sit referenda, hoc est, an levis, mediocris, vel insignis fuerit: si levis, impediatur remedijs, sequenti 6. cap. declarandis, ne pustulæ eleventur: si verò mediocris, ad septimum caput cōfugiat: Si enormis & magna, procedat, quemadmodum capite octavo declarabimus.

Prognostica Combustionum.

CAPUT IV.

Combustio levis, ubi cutis tantummodo læsa est, quantumvis dolorifica, facile tamen & brevi curatur, & vix apparebit cicatrix, si modò recta & methodica instituta fuerit curatio. Contrà verò difficile sanatur combustio insignis & magna, quæ

§ GVIL. FABRICII HILD.

turpem & rugosam post se relinquit cicatricem, propter cutis deperditionem & contractionem. Si pustulæ in principio non aperiuntur, tunc multi humores concurrunt ad partem læsam, qui putrescunt, & acrimoniam acquirunt, ita ut cutem & carnem profundius erodant, ulcus putridum, & tandem cicatricem turpissimam efficiant. Sunt itaque pustulæ statim ab initio incidendæ, ut aqua acris & fervida effluere queat.

*Pustulæ cur
à principio
aperiendæ.*

Facile & parvo negotio sanescit combustio in corporibus sanis, & benè temperatis. Contrà difficillimè in corporibus cacochymicis & plethoricis, facileq; degenerat in ulcus putridum, dolor enim continuò ad se attrahit ex corpore humores & sanguinem, hinc pars affecta incalescit, & inflatur, variaq; & pessima symptomata sequuntur.

*Combustio-
nes capitis
& faciei.*

Combustiones capitis & faciei, si magnæ & profundæ fuerint, glabras post se relinquunt cicatrices, quandoquidem cutis adeò arefacta & contracta est ab igne, pori que clausi, ut pili postea erumpere nequeant.

*Combustio-
nes membra-
narum oculi.*

Combustio ad oculos præcipuè ciliorū & membranarū Adnatæ & Corneæ, quantumvis levissima sit, periculosa est, & facilimè visus depravatio, aut ad minimum imbecillitas sequitur, & palpebræ invertuntur.

*Combustio-
nes ingui-
num.*

Periculosæ item sunt combustiones Inguinum, & difficilimè curantur: sunt enim huiusmodi membra per se humida, imbecilla & affluxui humorum obnoxia.

Combu.

Combustio Ventris semper periculosa est, *Combustio*
 difficilimeque curatur: sunt enim muscoli ab- *ventris.*
 dominis propter inspirationem, & expirationem, extensionem, quæ fit mediante cibo & potu, excrementorum excretionem, risum & clamores, in perpetuo motu, quemadmodum Hildenæ in patria in quodam puero trium annorum ætatis, observavi: is enim combustione periculosa ventris affectus, ultra menses octo nobis multum negotii facessit.

Si verò Intestina aliqua in parte simul combusta fuerint, lethale est. Est & Combustio *Combustio*
 Fulminis mortalis, uti suo loco dicitur. *intestinar.*

Combustio ad magna vasa Arteriarum & *Combustio*
 Venarum periculosa est, præcipue si profunda fuerit: calor enim contrahit, & vasa claudit, hinc spiritus & sanguis ad vivificandum *ad magna*
 & nutriendum, non satis perfluere possunt: *vasa Arteriar. & Venar.*
 & tandem sequitur Atrophia, nonnunquam & Gangræna, quemadmodum in Tractatu nostro de Gangræna & Sphacelo ostendimus. Combustiones item ad nervos & Articulos facilius contrahunt Junctionuras, ideoque ut Chirurgus in huiusmodi combustionibus summam diligentiam adhibeat, & statim ab initio medicamenti aptis durtiem & rugositatem cutis emollire, & calorem ab igne impressum, extrahere & dissipare studeat, necesse est.

*De duplici methodo combustionum
curandarum.*

CAPIT V.

*Finis ad quæ
Combustio-
num reme-
dia tendant.*

QUamvis passim infinita ad Combustiones apud Practicos & plebejos in usu sint remedia, five ea Emplastra, Vnguenta, Succia aut Aquæ distillatæ fuerint, nihilominus tamen omnia ad hunc finem tendunt, nimirum Empyreuma five calorem ab igne in parte affecta relictum, aut suffocent, aut resolvant, & dissipent. Suffocatio autem Empyreumatis, fit aut frigidis & humidis medicamentis, veluti succis & aquis sempervivi, Lætucæ, Hyoscyami, Solatri, & similibus: aut frigidis & siccis, quemadmodum sunt bolus armenus, terra sigillata, cerusa, argilla fornacum, & hujusmodi Emplastica, quæ poros occludunt. Ita ut calor extraneus ab igne relictus: non aliter ac ignis in loco occluso, intus suffocetur & extinguatur.

Altera via extinguendi empyreuma in hoc consistit, ut calor extraneus, & humores acres resolvantur, & dissipentur, quemadmodum vidimus prunas extinguere, si huc illucq; dissipentur. Id verò fit calidis medicamentis, ut sequenti capite declarabimus. Nunc operæ pretium est, inquirere, quænam methodus sit eligenda.

Qui primam methodum sequuntur, hoc
axio-

axiomate Hippocratis, Contraria contrariis
 rum sunt remedia; se fulciri putant. Cùm
 enim combustio sit accidens calidum, suo
 contrario, nempe frigidis empyreuma, & in-
 cendium ab igne relictum, extinguere conan-
 tur. Verissimum quidem esse recitatum Axio-
 ma Medicorum, fateor, sed refrigerationem
 in combustionibus per Accidēs fieri debere,
 sentio. Ex prima enim curandi methodo, cùm
 varia ut plurimū oriātur symptomata, quem-
 admodum postea declarabimus, meritò re-
 jicienda est. Non enim solum Empyreumati
 occurrere sufficit, sed præcipuè alijs quam-
 plurimis accidentibus, ut sunt dolor, retra-
 ctio & rugositas cutis, stipatio pororum, &c.
 prospiciendum est, quæ omnia calida requi-
 runt medicamenta. Hæc autem, ut penitus
 intelligantur, videamus primò proprietates
 frigoris. Eas autem Hippocrates describit his
 verbis. Ulceribus frigidum mordax, cutem
 obdurat, dolorem intolerabilem facit, deni-
 grat, rigores febriles, convulsiones & disten-
 tiones creat. Et Galenus: Subjectam materiā
 contrahere condensareque, frigidi semper est
 proprium. Id quoque perspicuum fit in oleo,
 pinguedine alijsq; rebus, quæ frigore densan-
 tur & indurescunt. Ex quibus perspicuum fit,
 frigida combustionibus planè adversari, & va-
 ria pessimaque accidentia procreare: Cutis
 enim ab igni indurata & contracta, magis ab
 usu frigidorum medicamentorum indurescit,
 & dolor augetur, hinc concurrunt humores,

*Lib. de flatu-
bus. Gal.
meth. med.
lib. 11. & li.
de optima
corporis con-
stitutione.*

*Lib. de liqui-
dor. usu in
fine, & lib.
5. aphor. 20.
De simplic.
medic. fa-
cult. lib. 4.
cap. 1. & de
usu part.
lib. 16.*

qui sub cute indurata non solum retinentur, imò ab usu frigidorum Medicamentorum in profundum repelluntur, ibiq; magis magisq; incalescunt, & summam acrimoniam & malignitatem acquirunt. Hinc tandem fit Inflammatio, Abscessus, & nonnunquam Gangræna. Inclusus enim humor, quia perspiratione caret, illicò putrescit, ut Galenus testatur: vel quia calor adventitius, dum in parte læsa inclusus est, exiccavit humidum radicale, in quo consistit calor natus, quemadmodum in Tractatu de Gangræna ostendimus. Hanc quoque ob causam monuit Hippocrates Erysipelas ab exterioribus ad interiora verti, non esse bonum. Sequitur & nonnunquam si combustiones magnæ frigidis Medicamentis tractentur, Herpes exedens; humores enim sub cute inclusi acrimoniam & malignitatem acquirunt. Anno 1594. venit ad me Coloniam iuvenis, cui ex simplici Combustione Herpes totam tibiā à pede usque ad coxam invaserat, ita ut nonnulli tibiā abscidissent, si malum tantummodò sub genu fuisset. Hunc quā methodo, & quibus medicamentis curaverim lector ex meis observationibus Chirurgicis intelligere poterit.

*Lib. de inæ-
quali insen-
perie.*

*Lib. 6. apho-
ris. 25.*

*Observatio-
ne 99.*

Quum igitur animadverterem, quemadmodum prunas, si cineribus diligenter cooperiantur, calorem suum diu conservare, sic etiam Empyreuma, & humores, qui in combustionibus ad locum affectum confluunt, ab usu frigidorum medicamentorum intus retineri,

retineri,

retineri, alteram potius methodum mihi se-
legi, quam hactenus etiam maximo cum fru-
ctu ægrotantium exercui. Quemadmodum
enim pruna citò refrigescit, si dispersa dissi-
pataq; fuerit: Sic citò refrigescunt, (per acci-
dens tamen, ut Galenus testatur) calida me-
dicamenta discutiendo & extrahendo Em-
pyreuma: Quandoquidem calor, ut Hippoc-
scriptum reliquit, cutem emollit, extenuat,
dolorem sedat, rigores, convulsiones mitigat,
& ulcera ad suppurationem præparat, ideoq;
etiam ijs partibus, quæ phlegmone infestan-
tur, ejusmodi applicantur medicamenta, à
moderato calore tamen, humores liquefieri,
vias ac poros dilatari, idein Galenus testatur.
Frigida item turpem, rugosam & lividam post
se relinquunt cicatricem, ut ex Hippocrate
ostendimus: calida verò non item.

*Libr. 2. ad
Glauc. cap.
2.
Lib. 2. aphor.
22.*

*Gal. meth.
med. lib. 4.*

*Meth. med.
lib. 11.*

Ut autem recta & methodica instituatur
curatio combustionum, diligenter examinan-
di & inspiciendi sunt omnes effectus & acci-
dentia combustionum, ut secundum earum
naturam remedia mutantur & applicentur,
imprimis autem, quia propter solutionem
continui, & subitam mutationem dolor sub-
sequitur, qui violenter ad se attrahit ex cor-
pore humores & sanguinem, necesse est re-
pellentibus medicamentis, defensivis nimi-
rum, & fasciis, in oxycrato, intinctis impedire,
ne hujusmodi humores & sanguis in partem
læsam confluant. Mox victus ratione, purga-
tionibus, venæ sectione, cucurbitulis, alijsque

*Gal. meth.
med. lib. 12.*

*Meth. med.
lib. 3. & 5.*

revulsionibus imminuantur, & ad alias partes trahantur & evacuentur humores & sanguis. Quantum ad topica attinet, in prima specie combustionum, si nondum elevatae fuerint pustulae, evocetur empyreuma, & humores acres, unguento ex capis & huiusmodi: si vero cutis combusta, contracta & indurata fuerit, diligentia adhibenda est, ut ea emolliatur, & lubrica efficiatur. Id autem fit medicamentis calidis & humidis, ut sequentibus capitibus fusiùs declarabimus.

Curatio primi gradus Combustionum.

CAPUT VI.

Primum & præcipuum negotium quod in combustionib⁹ est, ut Chirurgus impediatur, ne pustulae oriantur, si enim id fieri possit, non est quod æger postea ullam molestiam vereatur. Itaque quàm primùm quis igne, aqua, aut oleo fervido, aut simili quapiam re combustus, ac combustio levis fuerit, illicò locus ambustus aqua, aut proprio sputo madefiat, & ad ignem admoveatur, ut incalasciat, quantum ferre poterit, vel in aquam calidam immergat locum ambustum: aut si id fieri nequit, intingatur spongia aut linteum reduplicatum in aqua calida & applicetur loco ambusto: calor enim ille externus Empyreuma, hoc est, calorem ab igne in parte combusta

buſta relictam, ad ſe attrahit, ut Ariſtoteles & experientia teſtantur. Quemadmodum enim contuſus ſcorpio ictui ſuo impoſitus, venenum propriū ad ſe attrahit, ſic calor calorem. Hinc cæpæ in mortario cum ſale contuſæ, & illicò loco combuſto applicatæ, empyreu- ma extrahunt, nec ſinunt ut puſtulæ eleven- tur. Poſſunt & in talleolas ſcindi, & loco am- buſto imponi, unus ad alterum, donec tota pars combuſta ſit cooperta. Sequens quoque unguentum empyreu- ma potenter extrahit, nec ſinit puſtulas elevari.

℞. Cæpæ crudæ ʒj. ſ.

Salis

Saponis albi veneti ana ʒ ſ.

Miſceantur in mortario, fiatque unguentum cum ol. roſac. & amygdalar. dulc.

Unguentum.

Anno 1604. cūm dulciſſima mea coniunx *Hiſtoria.* ſapam in magno ahenò coqueret ac ipſam ſpa- tula agitare vellet, ex improviſo dextrā ad car- pum vique in ſapam ebullientem immittit, ea autē manui tanto tenaciūſ adhærebat, quan- to ad conſiſtentiam ac ſpiſſitudinem cocta e- rat. Ideoq; illicò exortus eſt dolor vehemētif- ſimus, non ſolūm in ipſa manu, verūm etiam toto brachio. Sapā ablotā calidā aquā, un- guentum iam iam præſcriptum (quod oppor- tunè tūm temporis in promptū mihi erat.) applicui, totum brachium oleo roſaceo in- unxi, & faſciā poſcā intinctā, involvi, ſæpiuſq; omnia illa reiteravi. Hinc divino favore, ex tanta combuſtione nulla ſequuta eſt cutis ex- ulceratio, præter duas parvas puſtulas una in

16 GVIL. FABRICII HILD.

pollice, altera in indice digito, quæ tamen parvo negotio unguento basilicone, curatæ fuere.

In combustionibus verò universalibus procedatur, quemadmodum sequenti exemplo declaratur.

*Alia historia
combus-
tionis uni-
versales.*

Anno 1605. Paterniaci tinctoris cujusdam Magistri Joachimi nomine, famulus, in ahenum tincturâ calidâ plenum incidit. Hinc totius quidem corporis combustio sequuta est, sed quia tinctura non omninò fervida, illæ potissimum partes corporis, quæ fœcibus tincturæ in fundo aheni præcipuè serraturæ ligni quercini, quibus adhuc calor maximus inerat, inhæserant, veluti brachia & facies, combustæ fuerunt. Accersitus, illicò totum corpus, facie exceptâ, hoc unguento inunxi.

Unguentum.

R^z Saponis liquidæ lb. β.

Cœpæ crudæ ℥ ij.

Salis ℥ j β.

Ol. de vitellis ovorum ℥ j.

Ol. rosac. &

Amygdalar. dulc. ana ℥ iij.

Mucilag. sem. cydonior. ℥ ij. Misce

Fiat unguentum.

Oculis sequens instillavi Collyrium anodinum:

Collyrium.

R^z Aquæ rosar. ℥ iij.

Aquæ plantag. ℥ j.

Sem. cydonior. &

Fœnogræci ana ℥ β. Misce.

Maneant in Infusione supra cineres calidos
per

DE COMBUSTIONIB. LIBEL. 17

per horam, deinde exprimantur, addaturque parum lactis muliebris, & oculis calidè instilletur. Reliquis verò partibus faciei unguentū quoque ex Saponē, solidum tamen & spissum, ne ad oculos persflueret, eosque læderet, applicui. Hujus autem unguēti talis est descriptio.

℞. Gummi elemi 3 j.

Ol. de vitell. ovor.

Rosar. ana 3 iij.

Saponis albi & Veneti 3 ij.

Unguentū

Dissolvatur gummi cū oleis, omnia in mortario diligenter commisceantur, fiatque unguentum, quod super linteum extensum, applicetur toti faciei, & de quatuor in 4. horas reiterentur emplastra, collyrium verò singulis horis. Eodem quoque die, exonerata prius alvo suppositorij beneficio, basilicā dextram incidi, & sanguinem ad uncias decem extraxi: erat enim vir robustus & plethoricus. Alterā verò die sequens exhibui pharmacum.

℞. Electuar. diacathol. 3 vj.

Electuar. de succo rosar. 3 ij.

Syrupi rosati solut. 3 j.

Potio purgans.

Cum aquā cichorij & buglossæ, fiat potio, detur hora matutina cum custodia, & optimā victus ratione.

Alterā quoque & tertiā die, simili unguento corpus totum bis inunxi, & faciei unguentum, quod præscripsi, applicui, oculisque collyrium frequentissimè instillavi. Sed quia quibusdam in locis, præcipuè in brachijs combustio in profundum penetrarat, necesse fuit

B

18 GVIL. FABRICII HILD.

ijdem in locis, eandem, quam 7. & 8. cap. declarabimus curandi methodum, sequi. His divino favore intra dies quatuordecim ex tanta combustione, plenissimè sanatus fuit.

Porro combustionibus faciei, unguentum ex cæpis minimè convenit: ex ijs enim oculi damnum atque jacturam non exiguam contrahunt. Itaq; loco ipsius unguenti, sequens præparatur.

℞ saponis Veneti ʒj.

Unguentum.

Olei rosar. &

Amygdalar. dulcium ana ʒ ʒ.

Nota.

Misce, fiat unguentum in mortario, addendo parùm mucilaginis seminis cydoniorum, extractæ cum aqua rosar. Notandum est Saponem mollem, quamvis in combustionibus minimè rejiciendus sit, in facie tamen, nō applicandum esse, liquefit enim, penetrat & offendit oculos, hanc quoque ob causam prospiciendum est, ne præscriptum unguentum nimis sit liquidum. Nonnulli ut impedian, ne pustulæ elevētur, linteum vernice intinctum, applicant illicò. Alii taleolis ex larido locum ambustum cooperiunt. Paulus Ægineta suadet linteum reduplicatum muriâ intingere, & applicare. Lixivium itē & aqua, in qua calx extincta fuit, idem efficiunt, sed hujusmodi remedia sæpius sunt iteranda, & tepidè applicanda, ne linteamina siccata, in loco affecto, dolorem excitent.

*Facies pul-
vera bōbar-*

Si Facies pulvere bombardico combusta, & grana pulveris cuti infixæ fuerint, illicò extrahen-

trahendus est pulvis, quantum fieri poterit, *dico combu-*
 idque acu, aut aliquo alio instrumento acu- *sta, quomodo curanda.*
 ro. Postea expectandum est, ut pustulæ ele-
 ventur. Sic enim quod reliquum est pulveris
 in cute, parvo negotio extrahi, & cutis mun-
 dificari poterit. Si verò Chirurgus in princi-
 pio non advocatus fuerit, ita ut cutis iam ci-
 catrizata, maculæ verò nigræ ex pulvere reli-
 ctæ fuerint, necesse est denuò exulcerare cu-
 tem; id autem commodè fiet, sequenti vesi-
 catorio.

R. Cantharidum num. vj.

Vesicatoriũ.

Fermenti ꝯ.

Misce in mortario cum gutta una aut alte-
 ra aceti, fiatque unguenti instar, de quo fiant
 parva emplastra, quæ maculis applicentur. Sed
 diligenter prospiciendum, ne ad oculos per-
 veniat unguentum hoc. Cum primùm pustu-
 læ fuerint elevatæ, incidendæ sunt forficibus,
 postea acu aut aliquo alio instrumento acuto
 eximendus est pulvis, tandemque applicandum
 est sequens unguentum.

R. butyri sine sale ꝯj.

Unguenti basilic.

Unguentum.

Olei lilior. albor.

De vitell. ovor. ana ꝯij. Misc. F. unguen-
 tum.

Quotiescunque Chirurgus tractat ulcera,
 prospiciat ut nigredinem pulveris diligenter
 abstergat, aut cum decocto scænochræci, &
 florum meliloti abluat, postea applicet præ-
 scriptum unguentum, atque ita procedat, do-

20 GVIL. FABRICII HILD.

Pulveris præcipitati usus in hoc casu.
nec ulcera satis sint mundificata. Ego hoc in casu aliquoties usus sum pulvere præcipitati, idque maximo cum fructu ægrotantium. Circumcirca verò ulcera, doloris leniendi gratiâ sequens applicetur unguentum anodynum.

℞ Olei amygdal. dulc.

Rosacei

Unguentum Anodynum.

Ceræ albæ ana ʒ. j.

Liquefiant, & misceantur, postea adde caphuræ ʒ. j. mucilaginis sem. cydonior. parum. Misce. Fiat unguentum.

Si verò pulvis in oculos impulsus fuerit, abluendi sunt lacte muliebri, aut aquâ rosac. tepidâ. Imprimis autem diligentia adhibenda est, ut affluxus humorum impediatur, & dolor leniatur, ut capite undecimo declarabimus.

Si verò pulvis in cutem impulsus non fuerit, sed cutis tantummodò ex flamma pulveris combusta, tunc illicò unguentum superius præscriptum ex Sapone, oleo, amygdal. dulc. & rosaceo, applicetur. Interim dum affectus ita tractatur, diminuendi & per alia loca educendi sunt humores noxij, & sanguis, ne ratione solutionis continui, & doloris in partem læsam confluant, inflammationemque & alia graviora symptomata excitent. Id autem commodè fiet victus ratione, purgationibus, venæ sectione, cucurbitulis &

defensivis, ut suo loco declarabimus.

clarabimus.

CUYAS

Curatio secundi gradus Combustionum.

CAPUT VII.

Porro si Combustio altius penetraverit, ita ut non solum pustulæ eleventur, verum etiā cutis combusta, siccata, & contracta fuerit, tunc neq; cæpæ, sapo, sal, & quæ ex huiusmodi sunt medicamenta, multo minus etiam superius enarrata frigida & sicca, sed quæ cutem emolliunt, & lubricam reddunt, erunt applicanda; ea autem sunt temperata, calida scilicet & humida. Itaque hoc modo procedendum.

Imprimis pustulæ omnes forficibus incidantur, quò aqua acris & calida effluere possit, epidermis item ubicunq; separata est, abstrahatur, ne sub ipsa pus colligatur. Et quia illico humores & sanguis ad locum affectum affluunt, necesse est ut affluxui illi humorum, defensivis adversetur. Applicetur itaq; unum ex sequentibus defensivis, ad latitudinem palmi minoris, supra locum ambustum.

R. Pulv. boli armeni

Sang. drac.

Gallar.

Croci Martis

Acaciæ ana ʒ ss.

Ol. rosac. ʒ iij.

Ceræ novæ ʒ j. ss.

Defensivis.

B 3

F. unguentum secundum artem, addendo parum aceti: Vel

℞. Farinæ hordei

Argillæ fornac. ana ℥ ij.

Aliud Defensivum.

Coquantur cum aceto, & aqua ad formam Cataplasmatidis, in fine admisce albumina ovorum. num. ij. Hoc defensivum singulis diebus bis aut ter reiteretur, ne in parte affecta exsicce- tur, & dolorem excitet.

Toti verò loco ambusto imponatur sequens unguentum.

℞. Unguenti basilicon. ℥ j.

Unguentum.

Ol. rosacei &

Lilior. albor. ana ℥ ℞.

Vitell. ovorum. num. ij. Misce.

Sequens quoque unguentum combustionibus summopere convenit, dolores mitigat, cutem emollit, & humores affluxos resolvit.

℞. butyri recent. sine sale

Pinguedinis gallinæ recent. ana ℥ j.

Ceræ novæ,

Aliud.

Ol. liliorum alborum ana ℥ ℞. Liquefiant simul, postea admisce croci ℥ i. mucilaginis sem. cydonior. ℥ j. Misceantur in mortario, fiatq; Unguentum.

Si verò dolor adeo vehemens fuerit, ut æger nihil, aut parum dormire possit, admisceatur prædicto unguento opij dissoluti ℥ ℞.

Aut ℞. Butyri recent. ℥ ij.

Ol. Amygdalar. dulc.

De vitellis ovorum. ana ℥ ℞.

Unguentum.

Croci, opij ana ℥ ℞.

Capho-

Caphoræ ʒj.

Mucilaginis sem. cydonior. ʒj.

Misce. Fiat unguentum, & applicetur.

Applicato defensivo, & uno ex præscriptis unguentis, pars affecta involvenda est, fasciâ in oxycrato, madefactâ. Et quidem brachio aut crure laborante, ab infima parte incipiendum, hoc enim modo reprimuntur humores, qui iam in partem læsam influendam, præparati sunt. Si verò combustio aliqua in parte fuerit, quæ fasciâ amplecti non possit, intingendum est linteum reduplicatum in oxycrato, & applicandû singulis diebus ter aut quater. Aqua item in qua caules conservantur (quæ fit ex aceto, aqua, & sale) si in ea intincta fuerint linteamina, & applicata, mirum in modum humores reprimat, dolorem lenit, & empyreumati adversatur. In facie tamen huiusmodi medicamenta, ubi acetum & sal ingreditur, propter oculos, non sunt applicanda. Emollitâ & satis lubricâ factâ cute, doloreque lenito, nonnulli exiccantibus medicamentis, veluti unguento ex calce lota, diapompholygos, albo Rhasis, & similibus, cicatricem inducendam esse volunt. Verum enim verò, quia huiusmodi exiccantia cutem contrahunt, & cicatrices turpes efficiunt, usus eorum medicamentorum mihi nō probatur.

Vt igitur ut plurimum emollientibus usque ad finem curationis. Præparo quoque unguentum ad omnes combustiones præstantissimum, hunc in modum.

*Unguentum
ad omnes cō
bustiones
præstantissi-
mum.*

R. Butyri recent. & loti in aq. rosac. ʒ. iij.

Ol. violacei

De vitellis ovor.

Amygdalar. dulc. ana ʒ β,

Farinæ hordei ʒ j. β,

Croci ʒ j.

Mucilaginis sem. cydonior. ʒ j.

Cere q. l. F. unguentum in mortario.

Hoc unguentum emollit, dolorem lenit, & paulatim cicatricem inducit. Sed quia combustiones, imprimis quæ in cutis sunt superficie, vehementissimo sensu sunt præditæ, videant Chirurgi, ut blandè ulcera abstergant. Ego ne abstergendo ulcera, excitem dolores, tela subtilissima, qualis est Cambriacensis, aut syndone cooperio totam partem ambustam, nec illam amoveo donec ulcera sint sanata, per hanc telam pus facilimè effluit, & virtus medicamentorum ad ulcera pervenit.

Dum verò locus ambustus, uti dictum est, curatur, victus ratio, purgatio humorum, & venæ sectio, minimè erit negligenda. A falsis omnibus vehementer calidis, & acribus, & quæ difficilis concretionis sunt abstineat. Utatur iusculis carniū recentium, in quibus Acetosa, Endivia, Lactuca & Borrage coxerint. Bibat phtisanam, aut cervisiam minimè generosam. Si plenitudo adest, incidatur Basilica, aut Mediana, extrahaturq; sanguis, prout vires consentiunt. Si purgare necesse est, purgetur secundum humoris prædominantis naturam, de quibus Medicus consulendus

lendus

DE COMBUSTIONIB. LIBEL. 25
 lendus est. Si combustio in facie fuerit, cucur-
 bitulæ spatulis erunt applicandæ, ut sanguis
 & humores retrorsum trahantur.

*Curatio tertij & ultimi gradus
 Combustionum.*

CAPUT VIII.

Periculosus est tertius & ultimus hic gra-
 dus combustionū, propterea quod nō
 nunquam degenerat in Gangrænā &
 Sphacelum. Primò enim ratione caloris vehe-
 mentiæ, exiccatur & consumitur humidum
 radicale, & innatum calidum. Secundò exic-
 cantur & contrahuntur Cutis, Caro muscu-
 losa, venæ & arteriæ, ut sanguis per eas in par-
 tem læsam influere minimè possit. Tertiò
 concurrunt ratione doloris & solutionis con-
 tinui humores & sanguis, augentque incen-
 dium. Hinc ex penuria alimenti, & suffocatio-
 ne caloris nativi emoritur pars affecta, quem-
 admodum in Tractatu de Gangrænā & Spha-
 celo monstravimus. Anno 1592. incidit in ma-
 nus honestissima matrona in *Hilden* illa pro-
 pter negotia domestica defatigata sola, ad fo-
 cum sedens, & syncope correpta, in terram
 decidit, dextrum verò crus in prunas proje-
 ctum est, hinc sura ita combusta fuit, ut paulò
 post, quia corpore crassa & cacochymica erat,
 Gangrænā & Sphacelo correpta fuerit, sepa-

*Tertius gra-
 dus combu-
 sionum pe-
 riculosus
 tribus po-
 tiß. de cau-
 sis.*

- 1.
- 2.
- 3.

Historia.

rata tamen eschara, & applicatis, quæ ad Gangrænam pertinent, sanitatem recuperavit.

Imprimis igitur pustulæ omnes sunt incidendæ, & aqua ratione combustionis conflua, spongiâ vel linteo exiccâda. Postea eschara leniter est separanda, aut ad minimû in diversis locis ferè ad carnem usque incidenda, quò humor acris sub crusta retentus effluere, medicamenta penetrare, & quicquid à calore induratum, emolliiri possit. Separatio autem illa escharæ primo aut secundo die fieri debet, antequam pars affecta infletur: sequens quoque unguentum statim ab initio est applicandum.

℞. Butyri rec. & loti in aq. ros. ℥ iij.

Unguentum.

Unguenti basiliconis ℥ j. β.

Ol. lilior. albor.

Amygdal. dulc. ana ℥ β.

Vitellum unius ovi. Misce & applica.

Postea linteum reduplicatum in sequenti emulsione intinctum, tepidè applicetur. Sedat enim dolores, emollit, & affluxionem humorum reprimat.

℞. Medullæ sem. cucurb. ℥ ij.

Emulsio.

Sem. cydonior.

Fœnogr. ana ℥ j.

Contundantur in mortario, & cum ℥ vj. aque puræ colentur, fiatq; Emulsio, in qua dissolve Saponis Veneti, albi ℥ β. caphuræ ℥ β. Si verò combustio in facie fuerit, sapo minimè est addendus, propter oculos, sed ejus loco addatur parum aq. rosar. & plantaginis.

Defen-

Defensiva statim ab initio sunt applicanda, & fasciæ in posca intingendæ, ut impetus affluxus humorum impediatur. Si verò pars affecta iam inflata fuerit, præcipuè verò si venæ & arteriæ ab igne sunt contractæ, non usque adeò probantur defensiva, nisi aliquid, quod vim habeat resolvendi, cujusmodi sunt farina fabarum, lupinorū, lollij & pulvis flor. chamom. &c. ijs admixtum fuerit. Utatur æger victu tenuissimo, purgentur item humores noxij cathartico secundum humoris prædominantis naturam. Incidatur vena, & cucurbitulæ applicentur, de qua re Medicus consulendus.

Cum primum autem affluxus humorum & sanguinis ex parte remiserit, ab usu defensorum desistendum est, quò spiritus & nutrimentum eò melius possint in partem læsam influere, escharamq; digerere, atq; separare, ubi chirurgus, minister naturæ, singulis diebus, quantum absque dolore fieri potest, aliquid ab eschara excidere debet, postea præscriptum unguentum ex butyro recenti, &c. imponere. Sequens quoque fomentum non habet exiguam vim sedandi dolorem, cutem emolliendi, & digestionem promovendi.

℞. Radicum altheæ ℥ ij.

Semin. cydonior.

Fœnogræci ana ℥ β.

Flor. Chamom.

Meliloti ana M. j.

Coquantur in aqua, aut si dolor vehemens fu-

Fomentum.

erit, in lacte vaccino, deinde spongiâ madefa-
ctâ in decocto, applicetur calidè: potest & ad-
misceri aliquid olei lilior. alborum. Si verò
combustio adeò magna fuerit, ut in Gangræ-
nam & Sphacelum degeneret, tunc curatio
Gangrænæ, ex Tractatu nostro, de Gangræ-
na est petenda. Sed quia hujusmodi combu-
stiones, quemadmodum diximus, sæpissimè
in Gangrænam degenerent, ideoq; cautè &
cum judicio in ijs procedendum est, & sem-
per aliquid applicandum, quod putredini ad-
versetur.

In pueris mihi aliquoties acciderunt com-
bustiones manuum & pedum, in quibus ex-
tremities digitorum planè combustæ fue-
runt. In his autem diligentia adhibenda est,
ut quicquid ita combustum, maturè separe-
tur, ne putredo partes sanas invadat. Itaq; si
caro & os usque ad articulum adeò combu-
sta fuerint, ita ut conservari non possint, inci-
dendum est os novacula in ipso articulo, non
autem tenaculis, ut nonnulli voluerunt. Si ar-
ticulus ipse quoq; affectus fuerit, retrò articu-
lum, caro novacula, os vero minutissimâ serrâ
incidatur. Cur autem ab scissio hæc scalpellis
fieri non debeat, in Tractatu nostro de Gan-
græna declaravimus, ubi etiam modum ab-
scindendi digitos monstravimus. Quamprimum
autem eschara separata fuerit, operæ-
pretium est primò mundificare ulcus, qua-
propter si putridum ac fœtidum fuerit, æger
robustus, & affectus in parte non usque adeò
sensibili,

fenfibili, solebam applicare Ægyptiacum. Si
verò æger delicatulus, & affectus in loco fen-
fibili, temperandum est unguentum prædi-
ctum melle rosac. Pulvis item præcipitati-
tus in aqua rosac. præstantissimum est medi-
camentum ad omnia ulcera putrida. Aut

*Pulvis præ-
cipitati præ-
stantissimus
in ulceribus
putridis.*

℞. Pulveris præcipitati

Radic. aristoloch. rot.

Farinæ hordei ana ʒ j.

Cum melle rosac. parumq; therebinth. lotæ,
fiatq; unguentum. Si combustio in capite aut
facie fuerit, addatur parum gummi Elemij in
oleo ros. dissoluti. Mundificativum item no-
strum de succo Apij, mirum in modum mun-
dificat ulcera putrida, uti & mel rosar. cum a-
qua vitæ mixtum & applicatum: Hujusmodi
autem medicamenta xylone aut filamentis
suavibus ulceribus imposita, linteaminibus
suavibus reduplicatis, aut spongia molli in-
volvenda est pars affecta; attrahunt enim hu-
jusmodi linteamina, & spongia humores se-
rosos, qui consolidationem impediunt. Mun-
dificatis ulceribus, incarnantibus, uti conve-
nit, quale est unguentum aureum, Nicotianę,
aut sequens pulvis.

*Vide tra-
ctat. de Gg.
cap. 16.*

℞. Pulv. aloes

Sarcocollæ

Myrrhæ ana ʒ ij. Misc. F. Pulvis.

*Pulvis Sar-
coticus.*

Sequens quoq; viscus mirum in modum mun-
dificat, & incarnat, quæcunque fuerint ulce-
ra putrida.

℞. Herbarum Cētaurij & Hyperici cū toto

Pisus.

Diapensiaë,

Alchymillaë

Betaë sylvest.

Folior. arnoglossæ majoris ana M.iiij.

Radic. Tormentillaë

Aristolochiaë longæ ana ʒ iij.

Incidantur & contundantur omnia, postea in vas vitreum projecta, superinfundatur vini tantum, ut supernatet, digeranturq; in sole per dies tres, deinde coquantur lento igne, donec tertia pars sit consumpta, colaturam cum fortissima expressione infunde in alembicum vitreū, & in Balneo Mariæ fiat viscus.

Tandem inducenda est cicatrix, non autem ijs quæ vehementer exiccant, qualia in alijs ulceribus Chirurgi uti consueverunt; vehementer enim exiccantia in combustionibus, cicatricem rugosam ac turpem efficiunt. Applicetur igitur sequens unguentum.

℞. Emplastri palmei ʒ ij.

Pinguet. Gall.

Unguentum.

Et anser. ana ʒ ʒ.

Liquefiant simul. Deinde admisce

Aluminis usti

Saturni calcinati

Lythargirij aurei

Lapidis calaminaris ana ʒ j.

Et in mortario plumbeo F. unguentum, addendo mucilag. sem. cydonior. & fœnogræci, quantum excipere possit, fiatq; unguentum, quod in omnibus combustionibus præstantissimum est. Unguento Alabastrino quoque hoc

hoc

hoc in casu sæpissimè usus sum magno cum fructu, cuius est descriptio.

℞. Lapidis Alabastritis calcionati ʒ j. β.

Pumicis albi calcionati ʒ β.

Aluminis usti ʒ ij.

F. omnium tenuissimus pulvis. Postea

℞. Cere albæ

Sevi cervini

Ol. amygdalar. dulc.

Lilior. albor. ana ʒ j.

Ol. de vitell. ovor. ʒ β.

F. unguentum s.a. Hoc unguentum emollit, dolorem lenit, & cicatricem pulchrâ inducit.

Si Combustio ad supercilia, labia, aut in digitis fuerit, diligētia adhibenda est, ne huiusmodi partes contrahantur, & ad invicem conglutinentur. Itaq; linteamina & filamenta, aut laminæ plumbeæ subtilissimæ fabricatæ, partibus ubi cōglutinationis est periculum, sunt interponendę. In magnis combustionibus ad magna vasa arteriarum & venarū, ubi Atrophie ex penuria alimentī metus adest, tota pars affecta primis quidem diebus oleo rosac. ad reprimendos humores, postea verò sequēti unguento inungenda est.

℞. Succilumbricor. ʒ ij.

Pingued. humanæ

Gallinæ

Ursiana ʒ j.

Aquæ vitæ ʒ ij.

Misc. Hoc unguentū emollit, resolvit, corroborat, & aperit, si quæ venæ & arteriæ pro-

*Unguentum
Alabastrinis
descriptio.*

Unguentum.

pter violentiam ignis contractæ & opilatæ fuerint; atq; proinde Atrophiam impedit.

De Combustionibus ad oculos.

CAPITULUM IX.

Q Vanto nobilior corporis nostri pars aliqua existit, tanto major adhibenda est diligentia, cum malè afficitur. Oculus itaq; quia nobilissimum est membrum, & valdè sensibile, particularem quandam requirit curationem. Imprimis autem Chirurgus in toto hoc labore negotio, ut dolori, & affluxui humorum & sanguinis resistat. Ideoque statim ab initio defensiva fronti & temporibus applicare, & pustulas omnes incidere debet, quò aqua acris & calida effluere possit. Oculis verò tepidè instillet continuò lac muliebre cum aqua rosac. mixtum, in qua parum croci integri maceratum fuerit. Linteū item reduplicatum, & in hoc lacte madefactum, oculis tepidè applicet, & reiteret, quotiescunq; ficcum fuerit, aut,

℞. aq. rosac. ℥ iij.

Sem. cydonior. &

Fœnogr. ana ʒ β.

Croci integri ʒ β. Misceantur.

Maneant in infusione horas 4. deinde exprimantur. Huic mucilagini admisceatur parum lactis muliebris, deinde tepidè oculis instilletur, & linteis reduplicatis applicetur oculis.

Collyrium.

DE COMBUSTIONIB. LIBEL. 33

oculis. Si dolor magnus est, addantur grana tria aut quatuor opij dissoluti in aqua rosac. sanguis item columbinus calidè oculis instillatus, dolorem lenit. Tandem applicetur sequens Cataplasma.

R. pulpæ malor. dulc. sub prunis decoctorum ʒ ij.

Farinæ fœnogr. &

Hordei ana ʒ ʒ.

Cataplasma

Coquantur in lacte vaccino ad formam cataplasmat. In fine admisceantur Croci ʒ ʒ. vitellum unius ovi, parumq; olei rosac. & calidè applicetur. Circumcirca tamen oculos si combustio levis adsit, applicari potest Unguentum aliquod ex sapone, quod tamen solidum satis sit, ne liquando oculos offendat.

Hic processus non est mutandus, donec ab inflammatione & dolore tutus sit æger, postea applicetur sequens collyrium, ad maiorem exiccationem, & visus corroborationem.

R. Aquar. Euphrasie

Fœniculi

Rosarum ana ʒ j.

Tutæ præparat.

Sief albi sine opio ana ʒ j.

Misce. Fiat Collyrium.

Collyrium

Sciat autem Lector, Collyria, in quibus ingreditur lac muliebre æstate singulis, Hyeme vero alternis diebus mutanda esse: facile enim acescit lac, & acrimoniâ acquirit, tunc dolorem non lenit, sed excitat. Hanc quoque ob causam acria illa, quæ in reliquis combustio-

C

14 GVIL. FABRICII HILD.

nibus præscriptimus, qualia sunt lixivium, muria, &c. in combustionibus faciei non sunt applicanda.

A narcoticis item, nisi dolor magnus adfuerit, quantum fieri poterit, abstinendum est; quandoquidem illa propter summam suam frigiditatem incrassant ac condensant humores & spiritus visivos oculorum. Si vero cutis ad oculos indurata fuerit, emollienda & lubrica facienda est, idque superius enarratis unguentis. Adhibenda tamen est diligentia, ne unguenta aut pingua intrent in oculos, excitant enim dolorem. Interim dum cutis emolliatur unguentis & oleis, instillantur collyria, & applicetur cataplasma, quemadmodum diximus. Quamprimum crusta abscesserit, consolidanda sunt ulcera, quemadmodum præcedenti capite declaravimus, id tantum addo, unguentis ad oculorum & capitis ulcera semper aliquid gummi Elemii commiscendum esse, est enim præstantissimum medicamentum ad huiusmodi partium vulnera. Diligentia quoque adhibenda est inter curandum, ne palpebræ retrahantur, id enim maximam deformitatem adferret. Ideoque tota facies inungenda est, unguento quodam emolliente, veluti hoc.

℞ Gummi Elemii ʒ j.

Ol. lilior. albor.

Pingued. ursiana ʒ j.

Mucilag. sem. scænoqræci ʒ ij.

Liquefiant læto igne, colentur & fiat unguentum.

DE COMBUSTIONIB. LIBEL. 35
rum. Sequens quoque fomentum ad idem va-
let.

R. Folior. & radic. altheæ
Malvæ
Brançæ ursinæ
Flor. meliloti ana M. ℞.
Sem. fœnogræci &
Lini ana ʒ ℞.

Fomentum.

Coquantur in aqua spongia madefacta, ca-
lidè applicetur, postea inungatur facies su-
periori unguento. Fomentatâ & inunctâ fa-
cie, paulatim cutis extendatur ambabus ma-
nibus, non secûs ac pelliones pelles extendere
solent.

Quantum ad universalia, imprimis utatur
æger victu acutissimo, tum ab omnibus cali-
dis, salitis, pipere, Zingibere, garyophyllis, al-
liis, cæpis, raphanis & similibus, sale conditis,
tum quæ difficilis sunt digestionis, abstinere.
Vinum item & cervisia generosa nocent. Bi-
bat Phtisanâ, in qua aliquid seminis coriandri
præparati, sem. anisi coxerit. Si æger à vino
propter ætatem abstinere non possit, eligat
sibi vinum album, & minùs generosum. Cum
iufculis coquantur herbæ quæ refrigerant, &
bilem reprimunt, quales sunt Acetosa, Bôr-
rago, Cichorium, Cerefol. radic. petrosel. fœ-
niculi, Maiorana, Rosmarin. & Euphrasia. Post
pastum sumat æger parùm mivę cydoniorum
simplicis, aut conservæ rosarum antiquæ, ut
elevatio vaporum ad caput impediatur. Si si-
tis urgeat, utatur decocto suo hordeaceo, in

C 2

quo dissolutus sit Syrupus de succo Acetosæ, aut Limonum vel Granatorum. Cerasa item condita, rob de ribes, de Berberis & alia hujus generis simplicia conveniunt, corpus purgetur Electuariis lenitivis, cassiâ, mannâ, Syrupo rosato solutivo, & similibus. Clysteres item & suppositoria, quia materiam deorsum trahūt, summopere conveniunt. Incidatur Cephalica in brachio, applicentur ventosæ scapulis, & vesicatoria post aures, somnus summopere convenit oculorum morbis. Contrâ verò vigiliæ & splendor Solis nocent, ideoque cubiculum, ut tenebrosum sit, operæpretium existit. Porro antequàm huic capiti finem imponam, in gratiam tyronum exemplum Combustionum non adeò vulgare, in medium adferam.

Historia. Puella duorum annorum ætatis suæ aut circiter, filia Domini Samuelis Gaillardi Ludimagistri apud Neocomenses vigilantissimi, compatriis mei plurimum honorandi, ad focum sedens, in prunas decidit, unde non solum frons circa oculos, verùm etiam tota ferè facies, potissimum ex una parte, graviter combusta fuit. Ego momento ipso accersitus, illicò sequens unguentum in linteum extensum toti fermè faciei, in formam emplastri, applicui.

℞. Saponis Veneti ʒj.

Unguentū.

Ol. de vitellis ovor. &

Amygdalarum dulc. ana ʒ. ij.

Gummi elemi dissoluti cum oleis ʒj.

Misce

Misce. Fiat unguentum, addendo parum mucilaginis seminis cydoniorum.

Oculis verò Collyrium ex lacte muliebri, parumq; aquæ rosar. continuo tepidè instillare, *Collyrium.*
& linteis suavis reduplicatis applicare iussit. Primâ die singulis horis quatuor emplastra renovavi, hinc major empyreumatis pars evocata fuit. Die secundâ, pulveris radicum mechoacæ ʒ j. ex iusculo carnis recentis exhibui, parti verò affectæ, sequens applicui unguentum.

℞. Ol. de vitellis ovorum

Ol. Amygdalar. dulc.

Pinguedinis ursi, &

Pingued. humanæ ana ʒ ʒ.

Gummi Elemi, dissoluti cum oleis ʒ ij.

Ceræ novæ ʒ j.

Croci ʒ j.

Aliud Unguentum.

Misce, fiat unguentum, quo solo curationem ferè absolvi, nisi quòd circa finem curationis eidem unguento aliquantum farinæ lentium maioris exiccationis gratiâ, admiscuerim, totam quinetiam partem ambustam aliquando sequenti Unguento emolliente inunxi.

℞. Gummi Elem. ʒ ʒ.

Ol. de vitell. ovorum &

Liliorum albor. ana ʒ ʒ.

Pingued. humanæ ʒ ij.

Misce.

Aliud Unguentum.

Interim dum cutem ita emollirem, sæpissimè illam ambabus manibus extendebam, quemadmodum pelliones pelles, dū illas ad-

ornant, extendere solent. Sic divino favore curata fuit, ita quidem ut nullum relictum sit vestigium combustionis, nisi minimum in superiori labello, quo in loco medicamenta, propter impatientiam pueri, contineri non potuerant.

De Combustionibus Inguinum.

C A P U T X.

Inguina, quia inembra sunt rara, laxa, humida, & fluxionibus obnoxia, atque ita facile putrescentia, particularem quoque diligentiam & methodum curandi requirunt. Inprimis autem, quia propter vicinitatem Emunctoriorum ibi humores illicò concurrunt, applicandum est statim ab initio defensivum ad imum ventris supra combustionem, vena in cubito incidatur, & vomitus si fieri potest, provocetur, sin minus per inferiora leviter purgetur æger, & victus tenuissimus instituat: à vino generoso, & à cibis calidis & acris absteineat, quemadmodum superiori capite declaravimus. Topica inguinum, quia inembra sunt rara, laxa, humida & corruptioni obnoxia, ut magis, quàm in aliis combustionibus exiccent, & putredini adversentur, necesse est. Itaque si pustulæ nondum elevatæ fuerint, applicetur illicò unguentum aliquod ex sapone, & cæpis præparatum: si vero iam elevatæ fuerint, incidantur, quò aqua acris effluere

DE COMBUSTIONIBUS. LIBEL. 39
effluere possit. Postea applicetur sequens un-
guentum,

Rx. Unguenti rosati ʒj. β.

Unguentum

Ol. de vitell. ovor. &

Amygdal. dulc. ana ʒ β.

Liquefiant, quibus admisce

Myrrhæ

Aloës ana ʒj. Misce & applica cum fila-
mentis, postea cooperiatur tota pars affecta
sequenti cataplasmate.

Rx. Farinæ hord. &

Cataplasma

Fabar. ana ʒ iij.

Pulv. rosar. rub. ʒ β. cum oxynellite fiat
cataplasma, quod calidè applicetur.

Si autem combustio insignis fuerit, ita ut
inducta sit crusta, separanda est paulatim scal-
pello, aut ad minimum ubique scarificanda,
postea applicetur sequens unguentum ad ca-
sum Escharæ.

Rx. Superioris unguenti ʒ ij.

Unguentum

Pulveris scordii ʒ j.

Unguēti Ægyptiaci ʒ ii. plus aut min⁹,
prout putrefactio magna, & æger robustus,
aut debilis fuerit. Misce & applica cum fila-
mentis, postea

Rx. Farinæ lupinor.

Fabarum

Lolii ana ʒ j. β.

Cataplasma

Coquantur cum lixivio barbitonfor. Tan-
dem admisce,

Pulv. Scordij

Aloës

C 4

Myrrhæ ana ʒ ʒ.

Misce fiat cataplasma, quod calidè applicetur.
Post escharæ casum, murdificetur, incarna-
tur, & cicatrifetur ulcus, quemadmodum ca-
pite octavo declaravimus.

De Combustionibus Juncturarum.

CAPIT. XL.

Iuncturis, quia partes sunt nervosæ, & ma-
ximo sensu præditæ, statim ab initio defen-
siva applicanda, corpus purgandum, vena
incidenda, & victus ratio instituenda est,
quemadmodum superioribus capitibus de
Combustionibus oculorum & inguinum de-
claravimus; medicamenta ex sapone, cæpis
& hujusmodi acrioribus (nisi combustio le-
vis fuerit) minimè sunt applicanda, sed emol-
lientibus, lenientibus & anodinis tractanda
est pars affecta. In magnis autè Juncturarum
combustionibus diligenter prospiciendum est,
ne nervi retrahantur & iuncturæ incurven-
tur; ideoq; totum membrum bis in die inun-
gendum est oleo lumbricorum, anethi, lilio-
rum albor. axungie humanæ, urfi, gallinarum,
caponum, unguento dialthæ & similibus, ut
quæcunque indurata, lubrica reddantur, atq;
retineantur. Interim quoque ferulæ, aliaque
instrumenta apta, ex ligno fabricata, circum-
cicà juncturas ponenda sunt, ut retractio
nervorum impediatur. Blandè tamen omnia
agenda,

DE COMBUSTIONIB. LIBEL. 41
agenda, ne dolor excitetur, qui si supervenerit, protinus sedandus est ijs, quæ sequenti capite describuntur remedijs, reliqua ex superioribus petenda sunt.

De dolore ejusq. curatione.

CAPUT. XII.

GRavissimū symptoma dolor est, tum in combustionibus tū in omnibus alijs affectibus: dissipat enim & absumit spiritus vitales, inquietudines & febres excitat, hinc sequuntur animi deliquia, fluxiones attrahit, inde inflammatio, phlegmone, convulsio, aliq; graviora symptomata oriuntur, est igitur, quantum fieri potest, leniendus. Generalis autem curatio doloris est ablatio ejus causæ. At quia in combustionibus binæ concurrunt causæ, nimirum subita alteratio, & solutio continui, duplex quoq; erit curandi scopus: primò ut empyreuma ab igne relictū, eliciatur, & pars affecta refrigeretur, & ad temperiem suam revocetur, quemadmodum antea satis declaravimus. Secundò, ut quicquid disjunctum aut combustum est, uniatur & consolidetur. Sed quia empyreuma exhalari, multò minùs pustulæ & ulcera sanari minimè possint, nisi prius indurata & contracta cutis, emollita & lubrica reddita fuerit, necesse est ut Chirurgus totus in hoc incumbat, ut superioribus recitatis medicamentis calidis & humidis, cu-

tem lubricam & mollem reddat, quò humores acres & subtiles possint per poros exhalari, & absumi. At quamvis huiusmodi medicamenta calida sint, refrigerant nihilominus, per accidens tamen, hoc est, ut Galenus testatur, resolvendo & dissipando humores acres. Itaque si dolor magnus fuerit, atque ijs, quæ cap. 7. & 8. præscripsimus, non sedetur, necesse est, (purgato tamen prius corpore, & venâ incisâ, si ætas aliâq; permittant) sequens applicare fomentum.

Fomentum.

℞. Radicum altheæ ℥ j.

Florum chamomil.

Meliloti

Rosarum

Absynthij ana M. ℞.

Sem. scænoqr.

Anethi ana ℥ ℞.

Ol. violar. ℥ iij.

Coquantur in lacte vaccino, in quo spongia intincta, aut linteam reduplicatum sæpius calidè interdiu loco dolenti applicetur. Sequens quoque cataplasma mirum in modum dolorem lenit.

℞. Micarum panis albi ℔ ℞.

Cataplasma.

Coquatur in lacte vaccino, ad formam pultis, postea adisce olei amygdalar. dulc. butyri rec. ana ℥ j. ol. de vitellis ovor. ℥ ℞. croci ℥ j. vitellum unius ovi. Misce, Fiat cataplasma, quod calidè applicetur, ter aut quater in die, fomentato tamen prius loco affecto; superiori fomentatione. Si pinguedo humana in promptu

DE COMBUSTIONIB. LIBEL. 43
ptu sit, poterit ejusdem aliquid admisceri, est
enim singulare anodynum.

Defensiva quoque sunt applicanda: victus
tenuis instituendus, & corpus purgandum
est, secundum humoris prædominantis natu-
ram, vena item incidenda, & cucurbitulæ ap-
plicandæ. Si verò dolores hisce non mitigen-
tur, ad Narcotica transeundum est: ea autem,
quia frigida sunt ad quartum gradum usque,
non immerito suspecta habentur, applicata ta-
men cum ratione & prudentia, periculo va-
cant, præcipue in externis partibus, à levio-
ribus tamen incipiendum, ideoque

℞. Florum Nymphææ
Folior. hyosciami &

*Cataplasma
Narcoticū.*

Papaveris, ana quantum volueris.

Involventur herbæ panno inadefacto, & sub
cineribus calidis parum coctæ, pistentur in
mortario, addendo parum olei rosacei, nym-
phææ, unguenti populeonis, & applicentur
loco dolenti, sint tamen ulcera vel crustæ
prius coopertæ unguento quodam ad casum
eschare, ne natura hujusmodi frigidis in sepa-
randa eschara, & digerendis ulceribus, remoret.
Aliud cataplasma narcoticum.

℞. Micarum panis albi ℥b β. Coquatur in la-
cte vaccino ad formam cataplasinatis, cui ad-
misce opij dissoluti in aqua papav. albi ℥ ij.
croci & castorij ana ℥ j. vel

*Aliud
Cataplasma
Narcoticū.*

℞. Herbar. cicutæ,
Solatri
Hyosciami

Papav.ana M.j.

Coquantur in lacte vaccino, postea pistentur in mortario, coquanturq; parum cum ꝑ ij. farinae hord. ad formam cataplasmati, cui admisce opij dissoluti in aq. papav. ꝑj. croci ꝑj. Misce & applica tepidè.

De imbecillitate visus.

CAPUT XIII.

Quia sæpissimè post combustiones faciei, imbecillitas visus, & lachrymatio oculorum sequuntur, ideo opere pretium est, paucis declarare, quomodo eis sit occurrendum, ne in fistulas lachrymales, ophthalmiam & suffusiones degenerent, aut visum planè auferant. Curatio autem his tribus intentionibus, diætâ scilicet, purgationibus & Topicis medicamentis, perficitur. Et quia in lachrymationibus oculorû, cerebrum humores mittit, oculi verò eosdem recipiunt, necesse est, ut omnimodo prohibeatur, non tantum, ne humores pravi in corpore & cerebro generentur, verum etiam ut qui iam generati sunt, & ad oculos defluunt, exiccentur, atque deorsum trahantur. Interim quoque oculi corroborandi sunt, ne fluxionem excipiant.

Prima Insensio.

Quantum ad Diætâ, imprimis eligendus est aër temperatûs: calidus enim humores in capite liquefcit, excalefacit, subtiles, acres, & ad flu.

ad fluxionem aptiores efficit: frigidus verò poros claudit, exhalationemque impedit, sed imprimis cerebrum comprimit, hinc vehementes fiunt fluxiones. Quemadmodum enim spongia imbuta aquâ, si manu comprimitur, vi quadam aquam emittit. Sic excrementi humores è cerebro frigore compressi, erumpunt. Ideoque si anni tempus frigidum fuerit, calefaciendum est cubiculum, si calidum, inpersâ aquâ frigidâ, & substratis frondibus, herbis & folijs, refrigerandum. Australis item, & Aquilonaris ventus nocent: ille enim præ sua humiditate, cerebrum implet humoribus, hic frigiditate, cerebrum comprimit, & exhalationem impedit.

In cibi administratione tria hæc, Quantitas nimir. Qualitas & usus observanda sunt. Primò enim excessus omnis, tum cibi, tum potus vitandus est. Secundo, quia fluxiones oculorum semper fiunt ex superfluis humoribus, ut cibus habeat qualitatem & vim exiccandi, necesse est. Quod si fluxus ex humoribus frigidis fuerit, cibus nonnihil calefacere, si ex calidis & acris, refrigerare debet. In genere autem nocent, quæcunque sunt difficilis concoctionis, & sale, aromatibus, cæpis, allijs, raphano, synapi & similibus condita, & cocta, item quæcunq; flatus procreant, & caput vaporibus implent. Tertiò observandum est, nunquam edendum esse, nisi prior cibus probè concoctus fuerit, naturalis appetitus adfuerit, varia quoque ciborum genera, quæ

substantiâ aut qualitate differunt, uno pastu conjungi non debent, panis sit ex optimo tritico benè fermentatus & coctus. A carne salita & infumata abstineat, præsertim à porcina. Convenit recens caro bouum castratorum, Caponum, & avium in arboribus viventium. Cum carne aliisque iusculis coquantur hyssopus, maiorana, salvia, rosmarinus, euphrasia, radix petroselinii, pimpinellæ, & similia. Si autem defluxus ex humore subtili & acri fuerit, coquatur cum carne & iusculis, Borrago, buglossa, acetosa, cerefolium, calendula, euphrasia, radix fœniculi & petroselinii.

Reliqua olera, ut sunt lactuca, portulaca, caules, item cucurbitæ, melones, cæpe, porrum, allium, sinapi, raphanus, in defluxionibus oculorum, summo perè nocent, uti & piper, Zingiber, garyophilli, legumina, & lacticia propter butyrum.

Vinum generosum, uti & Cerevisia generosa nocent, utatur cerevisiâ minimè generosâ, sed benè coctâ, aut pthisanâ, in qua agri-monia, euphrasia & pruna coxerint, postea aliquantum dulcoretur Saccharo, & aromatizetur cinamomo. Si verò æger ratione ætatis, aut imbecillitatis ventriculi à vino abstinere non possit, eligat sibi vinum aliquod album vetus, & minùs generosum. Somnus & quies summopere conveniunt in oculorum morbis: vigiliæ verò & studia, præcipuè statim à cibo, nocent, uti & actus venereus.

Secundò digeratur, præparetur, & evacuetur

tur

rum humor noxijs, qui ad oculos defluit, id-
eoque si defluxio ex humore acri & calido fu-
erit, digeratur sequenti Iulapio. *Secunda in-
sensio.*

℞. aquar. betonicæ

Euphrasie

Borraginis

Acetosæ ana ʒj ss.

Syrupi de Nymphæa

Violatij &

de cichorio ana ʒ ss.

Iulapio.

Misce fiat Iulapium pro duobus matutinis,
postea purgetur sequenti potiuncula.

℞. electuar. diacathol. ʒ iv.

diaphœnic. ʒ ij.

Syrupi ros. solut. cum rhabarbaro & aga-
rico ʒ ij. Cum aqua aut decocto betoni-
cæ & euphras. Fiat potiuncula.

Vel dentur pillulæ sequentes.

℞. Massæ pillular. de quinq; generibus

Myrobalonorum,

Pillular. aggregativar. ana ʒ ss.

Diagridij grana iv.

Pillula.

Cum aqua euphrasie formetur pillulæ quinq;
Pueris exhibeatur à ʒ j. usque ad ʒ ij. vel ʒ iij.
prout ætas & vires fuerint. Electuarij de succo
rosar. in tabellis, dissoluti in aqua betonicæ
vel euphrasie. Qui verò tabellis uti non pos-
sunt purgentur mannâ aut pulvere radicum
mechoacæ. Purgato corpore, utatur sequenti
Electuario.

℞. Conservæ flor. betonicæ,

Euphrasie &

Rosarum ana ʒ j. Misce.

Electuarij.

48 GVIL. FABRICII HILD.

Si defluxus ex uomribus frigidis fuerit, digeratur primo sequenti potione.

℞. Aquar. betonicæ

Potio digestiva.

Euphrasie

Fœniculi ana ʒ iij.

Mellis rosati colati,

Syrupi de Stœchade ana ʒ j. Misc.

Fiat lulapium pro duobus matutinis; postea purgetur sequenti potione.

Potio purgans.

℞. Electuarij Indi majoris ʒ iv.

Benedictæ laxativæ ʒ ij.

Cum decocto betonicæ, euphrasie, passulorum & seminis anisi, fiat potiuncula. Aut dentur sequentes pillulæ.

℞. pillular. cochiar.

Lucis major. ana ʒ ss.

Pillulæ.

Diagridij grana vj. cum syrupo de

Stœchade formentur pillulæ quinq.

Pueris detur drachma una aut altera Electuarij diacarthami in tabellis, aut diaphenici cum rhabarbaro, prout ætas fert. Purgato corpore, utatur sequenti Electuario, pro corroboratione cerebri, & exiccatione humorum.

℞. Conservæ florum betonicæ &

Electuarij.

Euphrasie ana ʒ ij.

Salviæ &

Rosmarini ana ʒ j. Misc.

Hujus Electuarij sumat æger jejuno stomacho magnitudine castaneæ. Decoctum Guajaci, radicum Chinæ, Salsæ parillæ, sassaphras summopere conveniunt: exiccando enim humores noxios, visum quoque corroborant.

Stoma.

DE COMBUSTIONIB. LIBEL. 49

Stomacho quoq; propter ipsius cū cerebro cōsensum, prospiciendū est. Debilis enim stomachus ad cerebrum multos mittit vapores, qui postea ad oculos descendunt. Abstineat igitur æger ab omnibus iis, quibus stomachus gravatur, & quæ difficilis sunt digestionis, sumat quoq; semel aut bis in hebdomade 3 j. hujus massæ.

℞. Pillular. hieræ picræ simplicis Galeni *Massa pillular.*

Massæ pillular. Assaieret

Rhabarb. opt. triti

Pulveris senæ ana 3 j.

Garyophyllor.

Macis

Cinamomi ana 3 ℞. cum syrupo rosato solutivo fiat massa pillular.

Utatur quoque æger semper post pastum aliquo medicamento quod stomachum corroboret, & elevationem vaporum impediat, qualia sunt miva cydoniorum simplex, conserva rosar. coriandrum præparatum, & sem. anisi & fœniculi, aut sequens pulvis.

℞. Seminis coriandri præparati *Pulvis*

Sem. anisi ana 3 j.

Flor. betonicæ

Rosar. rubr.

Euphrasie ana 3 ℞.

Cinamomi electi

Macis ana 3 ij.

Pellicular. interior. ventriculi Gallinarum 3 ℞.

Sacchari rosati ad pondus omnium.

D

Misce. Fiat pulvis.

Sequitur tertia intentio, quæ in Topicis & Chirurgicis consistit. Itaque si dolor magnus, & Inflammatio adfit, applicetur fronti defensivum aliquod, ex cap. 7. Oculis verò instilletur sequens Collyrium, & linteis reduplicatis in eo intinctis, applicetur.

Tertia intentio.

℞. Aquar. plantaginis

Collyrium.

Rosarum

Euphrasæ ana ʒ j.

Cerusæ lotæ

Tutæ præparatæ

Olibani subtilissimè pulverisati ana ʒ j.

Misce. Si verò defluxus oculorum ex frigidis humoribus fuerit, applicetur sequens Collyrium.

Aliud Collyrium.

℞. Aquar. euphrasæ

Fœniculi

Rutæ ana ʒ ij.

Olibani

Masticis

Myrrhæ

Aloës

Tutæ præparatæ

Sarcocollæ ana ʒ j. Fiat Collyrium secundum artem.

Si defluxio ex sanguine & humoribus calidis fuerit, incidatur cæphalica in brachio, si ætas & vires concedant. Ego in defluxionibus oculor. sæpissimè magno cum fructu venas iugulares externas incidi, verum sectio harum venarum requirit Chirurgum expertum;

Sectio iugularium venarum in morbis oculorum utilissima.

DE COMBUSTIONIB. LIBEL. 51

tum; est enim periculosa. Pueris loco phlebotomiæ hirudines applico, aut ad venam cæphalicam in brachio, aut in collo ad venas iugulares. Cucurbitulæ item magnæ cum flamma magna applicentur scapulis cum scarificatione.

Applicetur item sequēs vesicatorium post aures.

℞. Cantharidum in pulver. redactarū nu. 6. *Vesicatoriū.*
Fermenti acris ʒ. β.

Misce cum guttula una aut altera aceti.

Cortex interior fruticis vitis nigræ contusa & applicata eandem vim habet.

Utatur quoq; æger bis aut ter in hebdomada ieiuno stomacho, sequenti masticatorio.

℞. Masticis

Radic. pyretri

Summitat. maioranæ

Masticatorium.

Nucis muscatæ ana ʒ. j. Fiât in mortario cum melle trochisci magnitudine lupini.

Mastiche item per se masticata, & diu in ore retenta, multas ex capite trahit humiditates. Passulæ item, aut pruna damascena, oleo fœniculi inuncta, & masticata, non tantum ex capite trahunt humores, verum etiam cerebrum & visum corroborant.

Sternutatoria in morbis oculorum non probo: humores enim ad nasum trahendo, *Sternutatoria in morbis oculorum periculosa.* nervos opticos simul adimplent, & visum debilitant, quemadmodum in observatione 24. declaravi. Sequens quoque pulvis capiti inspergendus est, ex quo etiâ cucufa parari potest.

R. Flor. rorisinarini

Pulvis.

Salviæ

Betonicæ

Stœchados

Rosar. rubr.

Summitatum maioranæ ana M.ß.

Coriandri præparati 3j.

Lignialoës

Masticis

Thuris

Diamoschidulcis

Nucis moscatæ

Granor. Alkermes ana 3ß.

Incidantur & contundantur omnia s.a.

Si visus ex continua, & longa defluxione
debilis factus sit, corroboretur aquâ sequenti
destillatâ.

R. Euphrasiæ cum toto

Anagallidis flore purpureo,

Herbar. sceniculi ana M.xij.

Rutæ M. vj. Incidantur.

Aqua vi-
sum corro-
borans.

Posteâ superinfunde aq. rosac. lb ij. dige-
rantur in sole, in vase vitreo, & bene clauso,
per diem, posteâ lento igne destillentur in bal-
neo Mariæ, serveturq; aqua ad usum, est enim
præstantissima ad corroborandos oculos.

Setaceum.

Si defluxio & lachrymatio oculorum his
non sedetur, & æger de visu periclitetur, ap-
plicandum est Setaceû ad tertiam aut quar-
tam vertebra collis, nō tamen ferro canden-
te, sed acu argenteâ, quemadmodum obser-
vatione 40, fufius declaravimus. Adultis Seta-
ceilo-

DE COMBUSTIONIB. LIBEL. 53
 cei loco causticum ad secundam vertebra
 potest applicari, ut inde fiat fontanella. Pueris
 tamen perniciofa est fontanella in vertice, ut
 in observatione 42, de monstravimus: Fontanellæ item in brachio sinistro, & crure dextro, non exiguam vim habent in defluxionibus oculorum, ut experientia indies docet.

De Cicatricum Turpitudine earundemq; ablatione.

CAPUT XIV.

PRæcipuæ causæ turpitudinis cicatricum post combustionum curationes sunt, primò, quòd cutis, caro, venæ, &c. vi ignis contrahuntur, & indurantur; secundò, quòd humidum radicale (cuius beneficio vulnèra, & ulcera omnia, cicatrizantur) vi ignis exiccatum, consumptumque est, inde fit, ut quemadmodum siccus & aridus ager spinas tortuosas, zizania, & omnia imperfecta, ager verò pinguis & humidus, omnia perfecta producit: Ita etiam ex caloris innati, & humidi radicalis defectu cicatrices fiunt turpissimæ. Usus quoque medicamentorum frigidorum turpem gignit cicatricem, quemadmodum Hippocrates his verbis testatur: Ulceribus frigidum mordax, cutem obdurat, dolorem insupportabilem facit, denigrat, &c. *Hippocr. lib. 5. aphor. 20.* Ut autem hoc incommodum evitemus ab initio usque

54 GVIL. FABRICII HILD.
ad finem curationis emollientia sunt appli-
canda, quemadmodum antea monuimus.
Quantum ad curationem, imprimis duri-
ties cicatricum emollienda, & lubrica facien-
da est, pinguedine urfi, gallinarum, caponum,
oleo liliorum, & de vitellis ovorum, aut sequen-
ti unguento.

Unguentū. ℞. Pinguedinis gallinæ,
Urſi,
Pifcis thymali
Liliorum
De vitellis ovorum ana ʒ ij.
Ol. myrrhæ ʒ j.

Succi lumbricor. ʒ β. Misce, fiat un-
guentum, quo singulis diebus bis aut ter
cicatrix, & circumjacentes partes sunt in-
ungendæ.

Postea applicanda est lamina plumbea spif-
sa, inuncta Mercurio. Sed antequam inunga-
tur pars affecta superiori unguento, abluen-
da est aqua, in qua surfures, & non nihil myr-
rhæ incoxerint. Si verò cicatrices adeo duræ
& elevatæ fuerint, ut majorem emolliationem
requirant, fovitur locus prius sequenti de-
cocto.

Decoctum. ℞. Radicum althææ cum toto
Radicum bryoniæ, &
Lilior. alborum ana ʒ j.
Flor. chamomillæ
Melliloti ana M. j.
Sem. fœnogræci
Lini ana ʒ β.


Coquan-

Coquantur in aqua aut decocto pedum & capitis vervecis, appliceturq; cum spongijs aut filtris, in eo intinctis. Post fotum inungatur superiori unguento, appliceturque ceratum Oesyppi, Philagrii, aut emplastrum de Ranis cum Mercurio, idque tantisper faciendum, & singulis diebus bis reiterandum, donec Cicatrix satis sit emollita, ut possit à lamina plumbea deprimi.

Quotiescunq; autem Chirurgus cicatrices inunxerit, ambabus manibus cutem indurata contractamq; extendere tentabit, quemadmodum pelliones solent extendere pelles.

Si vero cicatrix adeo elevata, contracta, & indurata fuerit, ut inde maxima turpitudine & deformitas faciei sequatur, excidenda est (si æger consentiat, & pars affecta admittat) lineam in rectum, quatum fieri poterit, diductam. Postea vulnus, quod antea contractum fuit, dilatandum erit, id autem fiet mediantebus linteaminibus, illinitis glutine, ut sequens figura indicat.

D 4



A Cicatricis excisæ vulnus est.

B B B B. Quatuor sunt lintea oblinita glutino, quorum ad utrumque latus vulneris duo erunt ponenda, ita tamē, ut spaciū aliquod inter utrumque remaneat, ut ex figura apparet.

C. C. C. C. C. C. Fibulæ sunt sex plus aut minus secundū magnitudinem vulneris. Porro quam primū gluten siccatum fuerit, ita ut lintea cuti firmiter adhæreant, quod spacio quatuor aut quinque horarum sit, aut ad summum diei dimidiæ, constringendæ sunt fibulæ: sic enim contrahitur & constringitur cutis, quæ est inter lintea, vulnus autem dilatur. Interim carnatio & cicatrizatio vulneris, quantum fieri potest acceleranda est, nec amovenda

venda lintea, donec vulnus sit curatum. Glutinum conficitur ex adstringentibus viscosis & emplasticis medicamentis, ut

℞. Farinæ volatilis ℥j.

Masticis

Rosar. rub.

Sanguinis drac. ana 3 ij. Fiat omnium pulvis subtilissimus, qui albuminibus ovorum & mucilagine gumini tragacanthi, ad mellis consistentiam, miscendus.

Illud tamen notandum, applicationem huius glutinis non nisi post factam digestionem vulneris, fieri debere. Dum enim fit digestio, dolores adfunt, & labia vulneris inflantur, ideoque glutino dolor non est augendus, facta digestionem aliquando vulnus abluendum est aqua vitæ; facit enim pulchras cicatrices: loco quoque emplastri potest applicari lamina plumbea, inuncta mercurio. Curato vulnere, applicanda sunt, quæ faciem dealbescunt, qualia sunt aqua liliorum alborum, aqua florum fabarum, sudor item ovorum, aut aqua destillata ex testis ovorum, illa enim pretiosissima est ad cicatrices dealbandas.

Glutinum.

Nota.

De retractis nervis & incurvatis juncturis post combustiones.

CAPUT XV.

IN maximis combustionibus ad articulos, solent nonnunquam nervi retrahi, & iuncturæ incurvari, idque præcipue si Chirurgus circa

initia non satis diligens fuerit, nec ferulas, aliaque instrumenta, de quibus monuimus capite II. adhibuerit. Est igitur nova instituenda curatio. Sed prius purgandum est corpus secundum humoris predominantis naturam. In primis autem conveniunt pillulae de hermodactilis, & pillulae aggregativae, item Electuarium Indum majus, & benedicta laxativa. Si plethora adest, incidatur vena, extrahaturque sanguis secundum virium magnitudinem, de quibus omnibus consulendus est medicus.

Purgato jam & preparato corpore, uti modo diximus, pars affecta sequenti decocto emollienda lubricaque facienda est.

R. Radicum altheae cum toto

Radic. bryoniae

Liliorum albor.

Malvarum ana $\mathfrak{z}$ ij.

Fol. violarum

Flor. chamomillae

Melioti

Hyperici

Chamaepythidis

Chamaedrios ana M.j.

Sem. fœnogræci

Lini ana $\mathfrak{z}$ j.

Coquantur in juscule pedum & capitis vervecis aut vituli pro fotu. Postea inungatur totum membrum sequenti unguento.

R. Unguenti dialtheae $\mathfrak{z}$ ij.

Axungiae humanae,

Galli-

Decoctio emolliens.

Unguentum.

Gallarum


Anseris

Ursiana ꝯ.

Succi lumbricorum ꝯj.


Aquæ vitæ ꝯ. Misce, fiat unguentum.

Postea applicetur emplastrum ex mucilagini-
bus, vel Emplastrum Oesyppei, Philagrij, aut
de meliloto, extensum supra alutā. Nervis his
& ligamentis juncturæ satis emollitis, ad ex-
tensionem transeundum est, ea autem com-
modè sine dolore & periculo fieri potest, in-
strumentis ad hoc negotium accommodatis.
Si vitium est in genu aut cubito, aptissima
sunt hæc instrumenta quæ & à Gual-
thero Noyff in sua Chirurgia de-
pinguntur.



Aut

Aut utere sequenti instrumento ex nostra
 inventione, quod quivis parvo cum negotio,
 & sumptu habere & tam ad genua, quam cu-
 bitos incurvatos adaptare potest.



A.A. Capsulam ex ligno fabricatam, tam in prima, quam secunda figura denotat.

B. B. Annulus est ex lamina ferrea ejus latitudinis, ut genu totum possit amplecti, fabricatus. Is autem in prima figura appertus, in altera verò clausus, & genu amplectens, cōspicitur. Vt autem eò melius adaptari possit, pars illa, quę rotulam respicit, aliquantum excavata sit, necesse est.

C. C. Torcular existit, beneficio cujus annulus capsulam versus trahitur, aut quantum opus est, in altum elevatur.

D. D. D. Tam in primæ quam secundæ figuræ parte una claviculum, altera verò foramina denotat, quorum beneficio annulus tantum, quantum necesse est, constringitur, vel laxatur.

E. In prima figura cardines, quibus annulus clauditur apperiturque, denotat. Apperto itaque annulo, collocataq; tibiâ in capsulam annulus circumcirca genu aptandus est, stupisq; undiquaq; & linteis muniendus: postea clavo & foraminibus D. D. D. notatis, claudendus. Habet prætereâ fibulas duas, F. F. F. F. denotatas, & lora duo G. G. G. G. signata, quorum beneficio tibia capsulâ alligatur. Circumducto prætereâ torculari C. C. notato, à dextra in sinistram, annulus, simulq; genu capsulam versus trahitur, extenditurque tibia tantum, quantum Chirurgo opus esse videbitur. Porro torcular, ut liberè in annulo circumvolvatur necesse est: ideoque ex interiori sua parte

I. Lamina est ferrea, quæ capsulæ median-
tibus duabus claviculis, firmiter annexa est, ut
in ea torcular commodè circumvolvatur.

Si verò combustio in digitis fuerit, inge-
niosi & industrij Chirurghi erit, instrumenta
ad id apta & commoda, prout affectus requi-
rit, excogitare. Ego sequentibus medicamen-
tis & instrumētis, digitos omnes manus dex-
træ, excepto pollice, ex combustionione in ex-
ternam manus partem retractos, ibique con-
glutinatos, restitui. Quæ curatio, etsi iam an-
teà in Observationibus nostris proposita sit,
attamē ne quid hoc loco desideraretur, quod
ad hanc materiam spectare posset, denuò il-
lam hîc annectere placuit, tu lector omnia
benevolè consule.

Anno 1596. Isaacus Gotteran de Perroy,
adduxit ad me Lausannam filium suum Mi-
chaëlem, 14. menses natum. Is autem sexto
mense ætatis, manu dextra in prunas cecide-
rat: Hinc index, medius, annularis, & auri-
cularis unâ cum externa metacarpi parte, ad-
eò combusti fuerunt, ut apices horum digi-
torum usque ad primam articulationem de-
ciderint. At quia pater curationem imperitis
commiserat, digiti omnes (excepto pollice.)
cum cute metacarpi quasi in globum (ut se-
quens figura ostendit) conglutinati fue-
rant.



Septimo mense post absolutam curationem, adducunt ad me puerum parentes Lausannam, auxiliumque meum implorant. Purgato itaque corpore, mannâ ex juscule exhibitâ, topica & chirurgica sic institui. Primò sequenti decocto emollienti & unguento, per dies aliquot usus sum.

℞. Radi-

℞. Radicum althææ cum toto
 Radic. bryoniæ
 Liliorum albor. ana ʒj.
 Florum chamomil.
 Melilori
 Chamædr. ana Mj.
 Sem. fœnogræci
 Lini ana ʒj.

Coquantur in jussulo pedum & capitis ver-
 cecis aut vituli pro fotu. Postea inunxi totam
 manum & brachium sequenti unguento.

℞. Unguenti dialthææ ʒj.
 Axungia humanæ
 Gallinarum
 Anseris
 Urſi
 Succilumbricorum ʒß.

Misce, fiat unguentum.

Tandem manum involvi emplastro de mucila-
 ginibus. His nervi & callositas ex corrugata
 cute metacarpi, & digitorum in externa par-
 te manus concretâ, satis emollita: inde callum
 illum inter digitos & metacarpum novacula
 excidi, digitos item separavi. Deinde insperſi
 pulverem meum ad sanguinem sistendum, &
 albumina ovorum mixta cum aqua rosac. &
 plantaginis, oleoque rosac. applicui. Defensi-
 vum quoque ad carpum adhibui, & totum
 brachium oleo rosaceo, myrtillorum & lum-
 bricorum inunxi. Postero die sequens dige-
 stivum filamentis suavis supra incisiones

E

66 GVIL. FABRICII HILD:
posui, & brachium, ut antea suprâ dictis oleis
inunxi.

R. Therebinth. lotæ in aq. rosac. &
plantag. ʒ ij.

Olei rosac. & de

Vitellis ovorum ana ʒ ij.

Croci ʒ ʒ.

Vitellum unius ovi. Misce.

Quinto die apposui sequens instrumentum
ex ligno fabricatum, & incœpi paulatim digi-
tos ad naturalem situm attrahere.

A. Ferula



A. Ferula est lata tribus digitis in latitudine positis, ejus longitudinis, ut à carpo ad cubitum ferè usque pertingat.

B. Baculus est rotundus, pollicis crassitie, qui ferulæ firmiter affixus est: è medio autem hujus baculi exurgūt clavi quatuor rotundi, & ex ligno fabricati C.C.C.C. notati. Habet item ferula fibulas duas D.D. notatas, & lora duo E.E. signata, quorum beneficio instrumentum brachio alligatur: ut ex figura satis apparet.

Alligato itaque instrumento, & undique linteis, stupis aut gossipio bene munito; habui in promptu digitalia ex pelle fabricata, quæ extremitatibus digitorum apposui. Deinde filo, quod eis appendet, digitos deorsum attraxi, & clavis C.C.C.C. notatis, alligavi, atque singulis diebus magis magisq; incurvavi. Id autem ut eò melius fieret, brachium & manum superiori unguento, quotiescunq; vulnera tractabam, inunxi. Ne autem digiti denudò conglutinentur, laminas plumbeas digitis interponebam. His paulatim digiti ad naturalem situm reduci fuerunt. Interim vulnera quoque consolidavi & cicatrizavi, non quidem iis, quæ valdè exiccant, sed iis, quæ simul emolliendi vim habent, medicamentis: quemadmodum in tractatu nostro de Combustionibus ostendemus. Atque sic divino favore, manus in integram restituta fuit.

*De Fulmine, & quomodo eis qui ab
eo læsi, sit succur-
rendum.*

CAPIT. XVI.

Quia ignis cælestis omnium vehemen-
tissimus & periculosissimus, ac in se
contineat quasdam facultates super-
naturales, quibus homo protinus extingui-
tur, cunctandum non est, quid faciendum sit.
Hanc ob causam, in gratiam tyronū, Chirur-
gorū castra sequētium, breviter declarare pla-
cuit, quomodo eis qui à fulmine læsi, occur-
rendum sit: omnibus tamen Chirurgis ad hu-
jusmodi ægrotos accersitis, suadeo ut ope-
ram dent, quò possint sibi adiunctum habere
Medicum.

Quamvis autem ignis ille cælestis, ut expe-
rientia docet, in se facultates quasdam super-
naturales, & hominis ingenio planè abditas,
contineat, id tamen perspicuum est, ignem il-
lum adjunctam habere qualitatem, & mate-
riam mirum in modum malignam atque ve-
nenosam, idque satis denotat teter ille & pe-
stiferus odor, qui tum ex hominibus, tum ani-
malibus, arboribusque à fulmine ictis erumpit.
Hinc fit ut ursi, vulpes, cuniculi aliaque anima-
lia iis in locis fulmine ictis, degentia (ut viri
nonnulli docti testantur) propter hujus odo-

ris sævitiam, in eorum speluncis morari non possint. Canes item de carne animalium à fulmine interfectorum non gustant. Ex his perspicuum fit, quàm periculosum sit, uti herbis iis in locis collectis: conspicitur enim quandoque, ut Olaus Magnus Hist. Septentrionalium lib. 1. cap. 12. testatur, terra quasi sulphure conspersa. Mirum igitur nemini videri debet, aliquando homines subito, & sine manifesta causa mori.

Est autem ignis ille, quemadmodum Seneca testatur, triplex. Primum enim subtilissimus est, hinc fit ut inanimata veluti arbores & similia illæsa pervolet. Secundò præter subtilitatem illam, materiam quandam continet siccissimam, & magis terrestrem: hinc fit, ut partes corporis molles, illæsas penetret, duriora verò, quemadmodum ossa, rumpat, id verò non solum in animatis, verum etiam in inanimatis accidere observavi. Superiori anno 1604. cùm ligna pro usu culinæ advehenda curassem, occurrit ingens quercus, quæ ante annos aliquot à fulmine icta fuerat, quod quidem ex fissura, quæ in exteriori parte corticis à summitate ad radicem usque conspiciebatur, manifestum erat. Extrinsecus tamen pulchra & virescens erat quercus illa. Fisso trunco inventa est medulla, quæ in querceis arboribus durissima, à summitate usque ad radicem planè cariosa. Tertiò materiam habet adhuc magis terrestrem & crassam, quam obrem non usque adeò penetrat, uti de aliis diximus, sed

sed incendite ea, quæ primùm obvia veniunt, quemadmodum videmus civitates, templa, aliaque ædificia à fulmine incendi, & in cineres redigi.

Id autem fit partim propter ignis vehementiam, partim quoque, quòd homines ut plurimum ad defensionem & extinctionem ignis negligentes sint, ac tardi. Communis enim opinio est, ædificia fulgure incensa, non posse aquâ restingui. Mihi verò contrarium videre contigit. Anno enim 1592. Hildenæ in patria, turrim templi, altam satis & lapidibus tectam, fulminis ictu adeò incensam vidi, ut ex una parte flagrare cœperit, trabesq; nonnullæ ingentes ab ictu illo fissæ fuerint, quod tãdem incendium postmodũ aquâ restinctũ fuerat. Sic etiam inurit hæc species ignis corpus humanum, ac post se relinquit vestigia satis manifesta, quemadmodum pustulas, maculas nigras, & fractiones ossium. Subtilis autem & abdita illa penetrabilis qualitas prioris ignis, venenum illicò secum ducit ad cor & cerebrum, moriturq; animal ipso momento. Secunda quoque hujus ignis species, quia subtilis est, statim officit partibus nobilibus, sed quia conjunctam secum habet materiam magis terrestrem, quemadmodũ dixi, ossa etiam & vasa abrumpit, atque protinus extinguit animal, aut ipso momento, aut paulò post. Tertia verò species, quia (ut dixi) ipsius materia terrestris est, & crassa, minùs erit periculosa.

Ex his facillè apparet, qualis nam methodus curandi sit instituenda. Illa enim in hoc consistit, ut cor partesq; nobiles corroborentur & à vaporibus malignis & venenosis defendantur. Ideoque illico exuendæ & abjiciendæ sunt vestes, non solum, ut inspirationi & expirationi pulmonis consulatur, verum etiam ne malignus ille vapor fulminis, qui vestibus inhæret, partes nobiles, planè suffocet. Exutis vestibus, & ægro decubito inter lintheamina suffumigata baccis luniperinis, radicibus angelicæ, foliis lauri & rutæ, exhibenda illi sunt lapidis Bezoardici in subtilissimum pulverem redacti grana 6. aut 8, cum aqua buglossæ, cardui benedicti aut melissæ dissoluta, provocandusq; est sudor, quò natura venenum ad exteriora propellere possit. Si lapis ille in promptu non fuerit, exhibenda est theriaca ad 3 j. plus aut minus, prout ætas fuerit. Labia, lingua, nares, tempora, frons & arteriæ ad carpum inungendæ sunt vino malvatico, in quo theriaca sit dissoluta. Cordi applicetur sequens Epithema.

R. Aquarum buglossæ &

Melissæ ana ʒ ij.

Vini malvatici ʒ j. ʒ.

Aquæ cinamomi ʒ j.

Electuar. de gemmis ʒ j.

Confect. Alkerines ʒ ʒ.

Croci ʒ j. Mixtis omnibus cordi tepidè applicetur.

Brachia & crura fortiter sunt liganda, lintheisq;

DE COMBUSTIONIB. LIBEL. 73
teisq; asperis & calidis fricanda, ut venenum
ad exteriora attrahatur. Si pustulæ, vulnera,
aut maculæ adsint, applicentur protinus cæ-
pæ cum sale, folijs rutæ & theriaca, quassatæ,
applicenturq; cucurbitulæ, hirudines, incisæ
prius vesicis. Putrefacientia & Escharam re-
laxantia hic locum non habent. Excidatur i-
gitur Eschara scalpello, & forficibus, postea
ulcera sequenti unguento sunt mundificanda.

Rx. Mellis rosacei ℥ ij.

Unguentum

Pulveris radic. vincetonicæ &

Angelicæ ana ℥ ss.

Fol. rutæ cum pulveribus quassatôr. p. ij.

Theriacæ ℥ ij.

Aquæ vitæ ℥ ss. Misce.

Fiat Mundificativum. Mundificatis ulceribus,
inspergendus est sequens pulvis sarcoticus.

Rx. Pulveris radicum Vincetoxici &

*Pulvis sar-
coticus.*

Angelicæ ana ℥ j.

Myrrhæ

Masticis

Olibani

Fol. Scordij ana ℥ iv.

Fiat omnium tenuissimus pulvis, ex quo cum
sufficiente quantitate succi Nicotianæ, Sani-
culæ vel pyrulæ fiant trochisci, qui in umbra
exiccantur, iterumq; in pulverem redigantur.
Is pulvis pretiosissimus est, & in huiusmodi,
alijsq; ulceribus putridis & venenosis, veluti
in Anthrace, Gangræna, & Cancro: mundifi-
cat enim, & putredini adversatur: admixto
parùm aluminis usti, cicatricem quoque in-

ducit. Si qua ossa fracta fuerint, reponenda sunt, sed prospiciat Chirurgus, ne Emplastica astringentia & refrigerantia, ut in fracturis fieri solet, applicet, his etenim expiratio & evaporatio veneni impeditur, applicetur itaque sequens cataplasma.

Cataplasma.

℞. Farinæ fabar.

Lupinor. ana ʒj ss.

Pulv. radicum vincetoxici &

Angelicæ ana ʒ ss.

Folior. Rutæ M. ʒ.

Coquantur cum oxymellite ad formam cataplasmatis. Postea admisceatur theriacæ, aut Mithridatij ʒj. Fractura singulis diebus semel deliganda, & cataplasma renovandum est, membro prius vino, in quo radices vincetoxici & angelicæ coxerint, & theriaca parumq; aceti rosacei dissoluta fuerit, abluto. Idq; tantisper, dum metus veneni adest, faciendum. Defensivum ad latitudinem palmi minoris supra fracturam applicetur, ut elevatio veneni ad partes nobiles impediatur.

Interim autem dum externa, uti dixi, adhibentur, Cor, partesque nobiles roborandæ sunt, non tantum superscripto Epithemate, verum etiam conservis & Electuarijs, veluti conservâ florum buglossæ, calendulæ, rosmarini, melissæ, corticum citrionum. Diamargarito frigido, Lætificante Galeni, Confectione Alkermes, aquâ Cinamomi & similibus.

*Vitæus ra
tio.*

Utatur jusculis carniū recetium, in quibus borrago, buglossum, calendula, acetosa, ros. marinus,

DE COMBUSTIONIB. LIBEL. 73
marinus, majorana, macis, crocus, cinamo-
mum, & similia coxerint. Ab omnibus, quæ
difficilis sunt digestionis, abstineat. Prospi-
ciendum est quoque, ut alvus semper sit lubri-
ca, idq; si naturaliter nequeat, fiat Supposito-
rijs aut Enematibus lenitivis. A purgantibus
& venæ sectione abstinendum est, nisi ali-
qua adfuerit occasio particularis, ubi
consulendus est Me-
dicus.

F I N I S.



IN OBITUM

GEN. DOCTRINA
ET VIRTUTE VERE
NOBILISSIMI VIRI
DOM. CAROLI V-
TENHOV. NEO-
CHTHONIS
CAR.F.

*LACRVMÆ
ÆTERNÆ*

~

VIRIS PIIS ET DO-
CTIS EFFUSAE.



Lectori S.

Tanto in odio semper apud homines sanæ mentis Ingratitudinis vitium habitum fuit, Lector benevole, ut, qui olim acceptis beneficijs gratias non reddidissent, neq. parentum sepulchra ornavissent, Socratis sententia, tanquam ingrati ac impij à Magistratu reprobarentur, & ad munia publicæ, ut indigni, non admitterentur. Ego itaq. ne vitio ingratitude erga Generosum, ac æternâ laude dignissimum virum Dominum Carolum Wtenbovium piæ memoriæ, qui à teneris fere unguiculis medullitus me, quamvis indignum amare dignatus erat, meritò accuser, lubenti animo, si modò facultas voluntati respondere potens esset, sepulchrum hujus viri tam pijs, tamq. humani, & de me benè meriti, Rosis, & omnis generibus florib. fragrantibus conspergere. Sed quia hortulus meo tam aridus, tamq. sterilis, ut hocce viro nullos condignos flores proferre possit, ad aliorum, tam meorum, quam suorum amicorum vireta amœnissima ac fertilissima confugere, ac me recipere coactus fui, quantumq. florum illa mihi suppetitavère, ex ijsdem decerpere & ad huncce meum usum colligere, huicq. nostro Tractatui annectere placuit. Quòd si verò in hisce floribus disponendis ordinem, quem pro eorum dignitate decebat, minùs observaverim, omnes ac singulos obnixè rogo, ne vitio id mihi vertant. Tu interim lector benevole æquib. omnia consule, &

Vale.



VIRO OPTIMO ET PRAE-
stantissimo, Dn. Guiljelmo Fabricio
Hildano, Medico & Chirurgo Pa-
terniacensi, amico veteri
& sincero,

Amandus Polanius à Polansdorf
S. P. D.



RATI animi evidens documētum
est, eorum qui de humano genere
publicè privatiq̃ne bene meriti
sunt, memoriam cum laude con-
servare & ad posteritatem propagare: & qui
hoc præstant, nequaquam reprehendendi,
sed favore & benevolentia bonorum digni
sunt. Jam verò CAROLUS UTENHOVIUS
qualis quantusque vir, quàm salutaris bono
publico, quàm commodus mortalibus pluri-
mis privatim fuerit, & scripta ipsius & facta
loquuntur. Scripta ipsius innotuerunt mihi
primùm Vratislaviæ, quæ Silesiæ metropolis
est primaria, optimis legibus fundata, regimi-
ne politico splendida, gymnasijs bonarum
litterarum celeberrima, ædificiorum elegan-
tia atq; amplitudine magnifica, platearum la-
titudine & dispositione ornatissima, mundi-
tie amœ-

tie amœnissima, muris & vallis munitissima, civium numero populosa, emporio commodissimo fortunata, magnis opibus pollens, familijs antiquis & nobilibus honoratissima, quæ mihi totum sexennium hospitium præbuit & studia mea fovit auxitque, cuius memoria gratissima animo meo insidebit dum spiritus hos reget artus. In illa igitur urbe lectione scriptorum Utenhovii delectatus sum, & quàm felix illorum genius esset experimento percepi. Facta vero illius & beneficia erga te atq; alios tibi multisq; bonis nota sunt & perspecta. Rectè igitur facis, præstantissime Fabri, quòd viri illius memoriam sacrosanctam conservare æternamque efficere, quantum in te est conaris: non tantum ut gratitudinis erga illum tuæ officia testata reddas, verum etiam ut alios ad imitationem virtutis rarissimæ exemplo tuo excites. Feliciter vive & age, præstantissime Fabri, & Chirurgicis observationibus de humano genere, confusus Deo, bene mereri perge. Basileæ die 21.

Februarii, anno: Da nobis pa-
CeM IehoVa.

XX

CLARISSIMO
ORNATISSIMOQ. VIRO
D. GVILIELMO FABRI-
cio Hildano

MEDICO ET CHIRURGO
præstantissimo.



QVæ s v i s veloces Phœbus agit poli
Currus per oras quadrupedes sui:
Hic cuncta cernit, nec latere
Quæ poterunt oculum micantem:
Fidum sodalem vix tamen aspicit,
Curam gerentem sic socij sui
Partis amicos ac adesse,
Non dubia pietate, vellet.
Absentis omnis cedit amor: viget
Fervor, bonorum copia dum viget:
Quærit nec ullus gloriosum
Sit socij decus atq; nomen.
Ægidem iniquæ cum socio ad Stygem
Misere Parcæ. Nunc jacet impiger,
Patrocle, quondam mortis ultor
Ille tuæ, Phrygio subactæ.
Ad Ditis ædes inclytus Tydens
Concessit optatum ad Polynicem. Ibi
Manes apud nigri fluenti
Est socius Pylades Orestæ.
Candor recessit: fœdera quærito
Laudata quondam, semina littori


Mandare

Mandare si vis, siue vanus
 Equoreas numerare arenas.
 Fraudes per orbem, fictaq; fœdera
 Grassantur: omnes commoda queritant.
 Quo miror istam diligentem
 FABRICII magis ipse curam:
 Curat perempti funera CAROLI,
 Ut digna factis præmia splendidis
 Manes receiptent, metra, laudes,
 Mæstitiæ querulosq; testes.
 O quam fidelis seculo in impio
 GRILLELMUS! O quam sidera laudibus
 Illum super tollent Camænæ,
 Cujus amor superat sepulchrum.
 Numen perenni tempora proroget
 Cum gaudio hujus, nomine proprio
 Qui digna præstat, qui reponit
 Fœderibus sua jura priscis.

Insigni viro, cui ista observantiæ ergo
 dicabat, æt. 60. n. 14. additissimus

Nicolaus Viretus
 Thononiensis.

F



DE OBITU D. CAROLI
UTENHOVII, ad Poëtas
hujus temporis.

יִאֲלִילוּ כָּל־הַפִּיטִים
עַל דִּינֵי אֵף עַל מִשְׁפָּטִים
כִּי הִלָּךְ אֶל־בֵּית עוֹלָמוֹ
שָׁחִיָּה אֶל־וָף כָּל־מֹו
קָרוֹל בְּשֵׁמוֹ הָיָה נִקְרָא
אוֹטֵנְהוּב עַפּוֹ יִקְרָא
אֵב הָיָה כָּל־הַחֲרוּזִים
אֵלָיו שִׁירִים הָיוּ חוּזִים
אֵין נִסְתָּר מֵעֵינֵי שֶׁכֶּלֹו
חֲכָמוֹת רַמּוֹת הַתְּגִלּוֹ לוֹ
הַפִּיטִים קָרְבוּ שְׂמֵחוֹ
דָּלְתִי עוֹלָם לוֹ נִפְתָּחוֹ
עָתָה שִׁירִיו בְּשֵׁמִי מַעֲלָה
נִשְׁמָעִים בִּי שֵׁם חוּא עֲלָה

JOH. BUXTORFIUS, LINGUAE
HEBRAEAE IN INCLYTA
Academia Basileensi Professor.

Εὐγενεστά.

Εὐγενεστάτῳ τε καὶ λογοπότητῳ πάλαι ποτ' αἰ-
 δεῖ Καρόλω Οὐθνοσίῳ Νεόχθονι πάν-
 τες πεπαιδευμένοι, ἰωάννη
 τῷ Ρήτηρι.

Βαμὸς ἐπιτάφιος.

Εἴμ' ἀνδρὸς δ' ὅζον
 βίω, μόρῳ τε, μνάμα

Φλέγον κέδροιο καπνώδη γόνου
 ἀκῆσαι θαῦμα, παλαιάνην ἱέραε
 ἥ μὲν Νεοχθονίς παλαιά χθών
 γέννησεν εὐγενεστάτη ρίζα

πολέσι δ' αὖ μόχθοισι
 διαμύντ' ἀνάκλ' εἰς
 τοκεσίς τε καὶ τέκνωμα
 πόλιν ἱκνῆτο μαρτύρως
 Ἀγριππίνης Νέρωνος
 Φερώνυμον. ὁπαστοὶ
 δ' ἀμᾶχάρις ἢ Ἀπόλλων
 ἐρμῆς, Ἀθλῆνη, μοῖσσι.

Ἀλλὰ βάσις κραταῖα χρεῖς
 θρήκεν ἄμεμπτον ἀμφιθυμῶ
 σταθεῖσαι, τῆς ἐπίπλεον. Μά-
 καρ ὅλ' οὐθὲν γ' οἶσιν κα-
 ταχών, λέλογχε θεόφιν ζῆν.

IN NOBILISSIMI AC DOCTIS-
SIMI QVONDAM VIRI, CAROLI U-
tenhovii Neochthonis memoriam, de-
claratio metrica per eundem Jo-
annein Rheterium.

Ara sculpturae Graia concinna loquela,
Tibis adolens oleo nomina magna viri,
Cujus odoratam (dictu mirabile) vitam
Invidia mors ornat suavius ipsa tamen.
Nimirum nec nota satis, nec amata Smaragdus,
Mox desiderio fit pretiosa magis.
At tu tantus eras (generosa stirpe Neochthon
CAROL UTENHOV i deliciae Charitū,
Virtutum effigies, Musarum stemma decorum
Hebraeo, Graeco dogmate & Aonio)
Quanta suis late protenditur alma colonis
Nomine Agrippinae splendida metropolis:
Illa, inquam, quae te fovit juvenemq; senemq;
Iamq; fovet cineres hospita fida tuos.
Vel quam longa trahunt vastum diffusa per aequor
Vicini Rhem, firmata Nereides.
Haec laudes magnae, laudumq; occasio magna:
Sed tibi sancta fides KAROL E, plura dedit.
Hoc opus, hoc illud magnumq; unumq; necesse,
Quo servatur homo: caetera cuncta nihil.

DE CAROLO UTENHOVIO,
NOBILI ET POETA.

Siquis Utenhovii nomen non noverit, idem
Musarum stupidus nescit amicitias.
Ambiguum genus, an mortali egressus ab alvo,
Anné

Annē feris pāstus silvius uberibus.
Tanta erat illius nuper pręstantia vatis,
Quanta unquā ullius toto Helicone fuit.
Indignumq; homine est hunc ignorasse Poetam,
Qui nec si cuperet valdē, latere queat.
Et genus & virtus obstant, queis vēctus ad astra
Altius humanis extulit ille caput.
Scaligeris, Duzis, Grutero testibus utar,
Et te Lipsi hujus lux, & ocelle rei
Te Grutere tamen, quo nemo charior illi,
Quem quondam natum, jusserat esse suum.
Invidia ergo nihil fati properantis habebit
Pręcipuum, effigiem liquit habere sui.
Parcatum bonus est vim declinare malignam,
Et morte æterna velle carere, dolus.

Joan. Ulricus, J. V.D. &
 P.L. Confiliarius Pa-
 lat. Bypontinus.

MEMORIÆ QUÆ IN BE-
 NEDICTIONE VIRI CLARIS-
 simi Caroli Utenhovii, &c.

Quem Latium florens argutaq; Græcia civem
 Agnorant, vixit dis Utenhovius humo.
 Parte sui meliore polo. nec desit esse
 Nobiscum, superat nobilis ingenio.
 Vivitur hoc post fata: agiturq; heic remige famā,
 Mors nos mordaci surripit invidiæ.
 Præterea omnia plena dolis, plena omnia bellis,
 Infremitur creperis undaq; disidiis.
 Exim Mundus Utenhovio est exosus, & optat

*Iustorum in valido morte mori senio.
 Ingressus conclave paratum impune quiescis.
 Nunc mundi rides tu strepitum & crepitus.
 Hospitio fragili excessisti: culmen olympi
 Pro lare sortitus pauperis hoc tuguri.
 Nunc patriam cernis, nunc dulcia cominus arva
 Emerito tibi quam missio grata venit.
 Felix sorte isthac: demto nunc sine Jehovah
 Collauda Angelico consociate choro.
 Fatum nobis, & furibundum est æquor arandum,
 Dum beet & nostras anchora fida rates.*
 Chr. Donaverus Ratisp.
 P. L.

MEMOR. CL. ET NOBILISS.
 VIRO CAROLI
 Utenhovii.

*Carole te quoties picta collustro tabellâ,
 Ab fatum toties, Carole, ploro tuum:
 Dignus eras Pyllos vixisse benigniter annos,
 Aonidumq; magis consuluisse gregi:
 Sed lacrimandus abis, tecumq; abiëre Camænæ,
 Nominis æternum gloria sola manet.*

Laurentius Frisæus P. L.

IN TUMULOS CLARISSIMI
 VIRI CAROLI
 Utenhovii.

*Quæ peragras loca sacra, huc huc cõverte viator
 Lumina, quæq; movët marmora mœsta lege.
 Expediam paucis, ne te mora longa fatiget:*

Istius

Istis *Utenhovius* conditus est tumulis.
Utenhovius nostri splendor celeberrimus ævi,
 Dilectus *Phæbo*, castaliisq; *Deis*,
 Divinum implevit cuius sapientia pectus,
 Et rerum indulsit cognitione frui.
 In cuius labris *Pitbo* facunda resedit,
 Insuperstisq; suis ora diserta favis.
 Tot tantisq; animi locupletem dotibus atrox
 Mors, licet invito numine, subripuit.
 Heu quantum est sevi dura inclementia Fati!
 Quæ nullis nullis novit parcere nominibus.
 Magna tamen superest virtus, qua vindice totus
 Non potuit rapidis interisse rogis.
 Debita telluri in cineres sunt membra redacta:
 Hac omnes geniti conditione sumus.
 Ut qua hora superas vagitibus hausimus auras
 Fatalis simul præda dolenda coli.
 Sed tu parce tui vivis meliore superstes,
 Nempe animo; hac felix, *Carole* docte, viges.
 Nulla unquam seclis oblivio muta futuris
 Fama obfuscabit nomina clara tue.
 Fulgida dum Mundo præbebit lumina Titan,
 Dum nitidos purgent sidera celsa polos.
 Dum vastum *Occani* fluctus circumdabit orbem,
 Et dum *Cecropias* pascet *Hymettus* apes.
 Dum ver producet flores, dum messis aristas,
 Dum poma *Autumnus*, frigida *Bruma* nives,
Utenhovi nomen florebit ubiq; nec unquam
 Laude ejus merita destituetur honos.
 Recte immortalem censetur ducere vitam,
 Quem morti eripuit nescia fama mori.

J. Boissardus.

F 4

DE C. UTENHOVIO.

VT meritò lugent, Utenhovi, lumine cassum
 Pallas, & Aonii numina sancta iugis:
 Et Charis, & Veneres, & Amores, & Deus
 Ille Deus Clariæ præses Apollo lyæ. (augur,
 Atq; unà docti boni sollemniter omnes:
 Semper enim postes his patuere tui,
 Quo te cunq; aliquis venisset tempore visum,
 His vacuum nunquàm te reperire datum.
 In medio residens horum tu, Phœbus ut alter,
 (Ceuchorus Aonidum iugis in æde tua:)
 De variis cupide audias responsa ferentes;
 Nec parce in medium, tu optima quæq; dabas.
 Omnia virtuti tribuebas, omnia Musis:
 Et vitæ saperent, quæ potioris opes.
 Atq; ita cognati adspirabas sidera cæli:
 Στρίψοντες ΚΑΡ-ΔΑΟC ΟΥΘΕΝ ἔχου ΒΙΟC.
 Ad quæ quum nuper terrena ab sede migravit
 Spiritus, angelici pars preciosa chori.
 Molliter in tumulto, requiescant ossa precamur:
 Dum repetent olim corpus uterq; suum.

Bernard. Prætorius
 Syndicus Noricus.

IN OBITUM V. NOBILIS.

SIMI D. CAROLI

Utenhovii, &c.

Ex parvis Jambis senariis.

Videmus heu diebus esse singulis
 Novi quid, interire sive nasci

Et

Et hoc frequente more nil frequentius
 In Orbe; quin quod ipsa luminaria
 Amara Mors trucidet atq; sūrpia.
 Quousq; currit & recurrit aureo
 Suo nitore Sol, quousq; terminat
 Fluenta vastus Amphitrites alveus:
 Quod est videre nunc & experirier
 In hoc viro, præminente Belgii
 Decore præpotentis **UTTENHOPIO.**
 Is ortus ex utroq; nobilissimo
 Parente quibat anteire pluribus
 Viris Equestris ordinis: pecuniâ
 Opumq; vi præibat ille cæteris,
 Deinde latifundiis: sed optimum
 Quod est senis viaticum, velut Sophus
 Stagyrta magnus inquit, Eruditio
 In hoc profunda promicabat, ætheris
 Vt inter astra Sol minora promicat.
 Erat disertus, eloquens & artifex
 Quasi stili Latimioris eruens
 Et adferens nihil, nisi quod Atticum
 Mel & sapor suat latexq; Tullii,
 Valeri gravissimiq; Livii.
 Erat Poëta melle quoq; dulcior,
 Peracris atq; perspicacis ingenl,
 Trilinguis, imò quadrilinguis, Italæ
 Pium poëma testis est Olympic,
 Quod hic dedit Latinitate congrua.
 Erat Themista, Leguleius, æquitas
 In illius sedebat ipsa pectore.
 Erat Sophus rotundus in reconditis,
 In arduisq; disputationibus.

In omnibus deinde rebus ad fatim
 Sagax, peritus, atq. gnarus, impiger
 Legendo, scriptitando, nec quid obstitit
 Ei laboris, aut quid ægritudinis.
 Nihil minus iubetur heu tyrannidem
 Subire mortis: esto: ferre convenit
 Malum, gravemq. sarcinam, protacium
 Is error est parentum: per hoc iter
 Patres iere posteriq. luridum,
 Eo solemus ire nos & istemos
 (Animas & ægra segregare corpora)
 Manebit, usq. dum dies novissimus
 Futurus est: sed Uttenhovius interim,
 Licet sepultus, ex honore duplice
 Agit vigetq. vivus inter angelos
 Beatitate mentis, inde nominis
 Sui celebritate, quippe gloria,
 Sibiq. parta fama nescit emori.

Sebastianus Hornmolt.D.

ANAGRAMMATISMUS.

CAROLUS UTTENHOVIUS

HUIUS ARTES COLO NVTV.

O Mire placidum, bonum, piumq.
 Vatem, Castalidum novem sororum
 Mythen Utthovium tot inter ora
 Germanæ procures! pol HUIUS ARTES
 Mirabundus ego c o l o probatas
 A Graius Latusq. candidatus
 Perfectiq. chori Deabus, ore
 Si non, attamen addecente NVTV.

Sed

*Sed cur de facie mihi Poëta
 Hic non cognitus est, ut intueri
 Mirariq; satis queam tot artes
 Illius, simul ingent vigores,
 Nec non iudicium per acre planè?
 Testantur satis istud ante puri
 Libri publicitus dati, lepore
 Pleni, cognitione pleniores,
 Sed plenissima mœtra Christiana
 Doctrinâ, satis aurei libelli,
 Ut nihil loquar interim præaltis
 De virtutibus istius Poëtæ,
 Aut de nobilitatis eminentis
 Statu sive gradu, vel inclitarum
 Rerum pondere, de tonante linguæ
 Nervosæ gravitate, de sagace
 Et crebro studio. Sed ecquis istud
 Bonum corporis atq; mentis æquet
 Cælo laude sua sat universum?
 Jam quum deficiat mihi facultas
 Tanto cum sene colloqui, Jehovaham
 Ex cordis precor intimo recessu,
 Ut hunc incolumem virum reseruet.*

1596.

Sebast. Hornmolt. V.J.D.
 ac Poëta coronatus.

IN EFFIGIEM NOBILIS.

SIMI D. CAROLI

Utenhovij.

Pingere dum Gnydiam forma excellēte Dionen
 Querit Apelleæ docta cupido manus :

Non unam fertur veste exsinuasse puellam,
 Arti sicq; suum conciliasse decus.
 At si quis vera cupiat sub imagine Patrem
 Musarum in tabulae proposuisse quadra.
 Non opus hunc atq; hunc istumq; requirere Phœbi
 Cujus ad exemplar fiat agalma Dei.
 Tantum Utenhoviade sit vultum pingere Belgæ.
 Usq; adeo facies una duobus erit.

Janus Gruterus F.

IN OBITUM NOBILIS. AC
 DOCTIS. VIRI D. CAROLI U.
 tenhovij Neochthonis C.F.

EPIGRAMMA.

Immodicè nunquam migrantem ad sidera flebo,
 Cui fuit in Christo vita beata mori.
 Nam quanto superant cœli discrimine terras,
 Tanto est cœlesti vita caduca minor.
 Non tamen inficior, quin sit lacrymabile damnum,
 Quod parit illustris mors inopina viri:
 Nec renuoi ratum esse Deum, quum chara reposcit
 Gratus ab ingratis organa quæ dederat.
 Causa tamen nulla est, cur non memorabile nomen,
 Sit, quorum probitas non simulata fuit.
 In quibus, ô felix, merito censeris ab omni,
 Cui tua nota fuit vita peracta, vivo.
 C A R O L E; nam reputans quid sit pietatis imago
 Mortua, quid sterilis fructibus arbor item:
 Quid sit vaniloquum sermo fucatus, & ipsa
 Religio tantum nomine operta Dei:
 Quid sit vana fides, nimirum informe cadaver,

Et

Et quid nobilitas moribus orba suis:
 Aversatus eras cuncta hæc, ut regia virtus
 Excepta hospitio, fida magistra foret.
 Namq; fuit cordi pietas, non arida, pascens
 Optatis homines frugibus innueros.
 Sicut amæna suos perdulces porrigit arbor
 Fructus, quos avido carpere cuiq; licet.
 Frugibus ut quævis Crmon pascibat Athenis
 Hospitem, & in cunctos officiosus erat.
 Nemo recessit enim propriis ex ædibus abs te
 Quam aliquid læta mente referret opis.
 Quam pietas igitur, promissis nixa futuræ
 Vita & præsentis, fallere nos nequeat:
 Spiritus atq; tuus cæli super astra receptus,
 Vera beatorum gaudia percipiat:
 His tua versiculis virtus pretiosa notatur,
 Digna Poëtarum carmine Laurigeram.
 Quisquis enim pietatis amans, imitabile præbet
 Exemplum, est celebris dignus honore viri.

Nathanaëlis Chambuti,
 Verbi divini Ministri.

JACOBI GRASSERI
 LYRICUM.

V T ver, ut æstas, ut pede præpete
 Auctumnus exest, ut pluvias hyems
 Adducit horas, anno iniquam
 Præterito properans senectam!
 Quo fontium vis, quo viror arborum,
 Honorq; florum evanuit? heu jacent
 Soli saliq; illustriores

Deliciæ, & placidi recessus
 Utque tandem flebilibus modis
 Floret Napearum chorus asperis
 Flores procellis variores
 Et nemorum perijisse frondes
 Amœniores Phœbus & inlyta
 Minerva fletu magnanimum dolet
 Heu CAROLUM ereptum æviternos
 Cui indiderunt genii vigores.
 Abjecta eburnâ Melpemone lyrâ
 Tristi susurro nunc elegos chely
 Committit, æternos alumni
 Cum Charisin meditans honores.
 O dura fati, dura dies facem
 Gavisâ tantam extinguere, quâ Themis
 Quâ Musa, quâ divinâ Virtus
 Æthereos iter ad recessus,
 Fontesq; Pindi ostenderat illices
 Et Mœnali acres, queis Aganippides
 Collegerant nuper corollas,
 Pieriumq; anadema vestræ
 Fronti UTENHOVI, quod vario heu male
 Flaccere lessò plangimus & comis
 Detractum honoris se viore
 Atropos imperio invidioq;
 Vrgente fato condimus arculâ
 Conculsi atroci vulnere: nunc modò
 Heu conscij jactura, & almæ
 Heu Patrie Patris, & Patroni!
 Ego heu maligni pectoris entheo
 Pertæsus ævi carmine lugubri
 Inscriptero carmen sepulcro

Ingenii

Ingenij generosioris.
 Æterna vestri buccina, dum Themis
 Et sancta Virtus exuvias tui
 Heu corporis lauri rosæq;
 Implicitas foliorum honori
 Resuscitanti reddiderint D E O
 O ille tandem sol veniat polis
 Exortus optatis, sacramq;
 Jungat amicitiam peremne
 Victuram in ævum. tu frueri Angelis
 Conjuncte diuvis nectare & inclytis
 Cum vatibus magnum Jehovah
 Perpetuo celebra canore.

Ejusdem Epitaphium.

Hoc Themis, hoc Charisim lacrymantibus inclyta
 Deposuerunt suas cespitem delicias (Virtus
 Fama per occiduas, per Eoas altior oras
 Nomen agit, genius regiam Olympi habitat.

IN OBITUM CAROLI
 UTENHOVII NAENIA
 Encomiastica.

Carolus hic sit est Uttenhovius ille Neochthum
 Flandrorum quæ Metropolis ter maxima Gada
 Patrium genuit: Rhodan, Rhenusq; tricornis
 Quem tenuere: truci at rapuit mors improba dextra.
 Ipsum hunc postremis vite ampla Colonia lustris
 Paverat, atq; extra tumulari mœnia vidit,
 Sunt ubi Christiadam monumenta, exosa Papistis.
 Si rogitas forsan patria cur tam procul alma
 Istis maluerit in agris sua condier ossas

Certè ipsum pepulit charissima patria nunquam,
 Linquere nève illam vitium, vel jussit egestas;
 Sed pietatis amor, sed pax, qua terra carebat
 Flandrica, doctorum et consortia chara virorum,
 Captat avarus opes, petit ambitiosus honores,
 Res magna est aliis generoso sanguine nasci,
 Majorum aut factis sibi conciliare favorem:
 Hic quoq; nobilibus planè est genitoribus ortus.
 At non tam patria curæ inclarescere laude
 Quàm propria virtute fuit: Matrisve cruenti
 Impia sectari sacræ quàm castra Minervæ.
 Magna etenim quantum debet Verona Catullo,
 Sulmoq; Nasoni, doctòq; Venusia Flacco:
 Tantum huic magna suo debebit Flandria civi.
 Tres idem hic linguas, titulum queis Pontius olim,
 Signavit Christi, promptus callebat ad unguem.
 Capnio magne tibi, tibi nil divine Tremelli
 Concessit lingua in sacra, Stephanòve Pelasga,
 Summorum in Latia adest fuit æmulus usq; virorum.
 Ut taceam linguas quatuor, quibus orbis ubiq;
 Utitur Europæ elegantibus atq; politis,
 Quarum quæq; ipsi fuit ut vernacula nota.
 Sic animi varijs excultus dotibus, atq;
 Muneribus Charitum, viridi vegetaq; senectâ,
 Ordinibus gratus cunctis, placide obdormivit.
 Vividus hinc (Christo qui debitus) astra petivit
 Spiritus: at vili hac corpus requiescit in urna.

Matthias Quadus
 ludebat.

In

In obitum

ANTIQUA GENERIS NO-
BILITATE, NEC NON IN-
sita virtute eruditione &
pictate insignis
viri,

D. CAROLI VTENHOVII
Neochthonis,

ELEGIA LVGVBRIS.

Pævia Phœbei currus Aurora seniles
Dum fugit amplexus, Dum Cephalumq;
gemit:

Aeriazq; gemit cœlebs dum turtur ab ulmo:

Desiet & extinctum Daulias ales Ilym:

Languenti mœstos compono pectine versus,

Et querulo tristes pectore mitto sonos.

Leucothoes iusta est nimium querimonia Progenem,

Et castam ad gemitus causa subegit avem.

Scilicet & iurtur gemit, & Ithaumantis amicum,

Anato luctum Cecropis ales habet.

Flevit ut Hermione raptâ genetrice, gemebat

Sublata vates conjuge Threicius.

At mihi nec nati, nec questus fata parentis

Eliciunt, gravior causa doloris adest.

Ille tibi genitor, Phæbo lectissima pubes,

G

Ille tibi soboles, turba novena, fuit:
 Sub gelido cuius jam condidit ossa sepulchro
 Invida, quæ nulli parcere Parca potest.
 Cui non funereo spargentur lumenina fletu,
 Dum socius rapidis deseret ossa rogis?
 Lesibilem solo pede cum trajecit Achillem
 Tindaridos raptor prodicione potens,
 Humebant Danaum lachrymis manantibus ora,
 Ingemuit genitrix Amoniusq; parens.
 Myrmidonumq; phalanx fusco velamine textis
 Corpora, texerunt Nereidumq; chori.
 Hecfore sublato manibus sua pectora planxit
 Quisquis Dardaniâ duxit in urbe diem.
 Dum cadit Amathij proles generosa Philippi
 Effudit planctus victa dolore cohors:
 Victa dolore cohors, totum quæ vicerat orbem,
 Quæ dare præcipiti nescia terga fuge.
 Imnumeras gentes lugentes nomen Agrippæ
 Quæ tulit urbs, lachrymas vidit & innumeras
 Dum tibi fila legunt merentes ultima Parcæ,
 CAROLE, & extremum pectora frigus habet.
 Et ferè FLODROPIAM pallentes misit ad
 Cum socio thalami mors inopina pij. Cumbras
 Invitus ducit vitales spiritus auras,
 Baucidis & casto pectore vota fovet.
 Hos virtus, pietas, mores junxere: fuitq;
 Coniuge vir dignus, femina digna viro.
 Haud cupit, haud potis est lachrymas retinere cadens
 Quæ caput magna parte carere sui. (tes
 Nec tibi, fida thori consors, ea funera soli
 Sollicitos gemitus signa doloris alunt.
 Non vos Parnassum, non vos Helicon, Poëta,
Queris

Quæritis in madidas imbre cadente genas.
 Mæonice lachrymas, dulci pro carmine, fundunt.
 Vix solitum carpit Phæbus ephebus iter.
 Rhœnus & ipse gemens, imòq; reconditus antro
 Luctu sonis rapidas fletibus auget aquas.
 Nec potis assueto componere tramite fluctus,
 Auctis dum tumultum lambit & ambit aquis.
 Crinibus en fœdè mæret Germania passis:
 Atque suum deflet Flandria mœsta decus.
 Lingua Pelasga dolens Latiam Hebræamq; sorores
 Accessit luctus nuntia certa sui.
 Dissimilesq; sui Charites rupere capillos,
 Quarum lugubris fertur ad astra sonus.
 Flete quibus claro splendet stemmate virtus,
 Dum cadit hic veræ nobilitatis honos.
 Et vos, Doctores, depromite corde querelas,
 Dum cadit domus laus decusq; chori.
 Tu quoq; Pegasidum studiis addicta Juventus,
 Testetur luctus carmine, vestes sonis.
 Hic poterat facile te sistere tramite Pindi
 Ad juga, Parnassi cui vita nota foret,
 Imbuerat puerum Pimpleo nectare Daphnes
 Augur amans viridis, præbueratq; chelim
 Calluit hic linguas, virtutes calluit, omni
 Doctrina splendens & pietate fuit.
 Displacuisse olli pictæ vestis & auri
 Ornatus, expers ambitionis erat.
 Huic gratum virtute decus, non querere palpo:
 Principibus tamen haud gratior alter erat.
 Quid memores mores? Quid numen amabile frontis?
 Quid summam, Uranie, cum pietate fidem?
 Aurca simplicitas, mens nescia fallere, cordi

Huic fuerat veræ religionis amor.
 Hic sanctas coluit vigilanti corde Camænas,
 Et studijs tempus mitibus omne dedit.
 Heu mihi! quot letho Clotho dat seæva labores?
 Cum tanto pereunt, quot monumenta viros
 Nam qui multa dedit laudati signa laboris,
 Plurima doctrina, plura daturus erat.
 Ergo age, sancta cohors, vultu profitente dolorem,
 Mœnia luctu sonis ampla repleto sonis.
 Persuso & lachrymis myrrham, laurosque virentes
 Inyctas tumulo, pruniceasque rosas.
 Hinc odor, hinc vastum sese diffundat in orbem:
 Nec fiet extincti fama sepulta viri.
 Quid moror? En Phæbum portantes lumina currus
 Adducunt, nitido qui ferat axe diem.
 Iamque vale Aonidum vir gloria certa sororum,
 Qui colis Elysi culta vireta soli.
 Vivet honos operum, laurus dum Phœbus amabit,
 Dum vatum vivunt carmina, vivet honos.

Nicolaus Viretus
 Thononienfis.

IDEM IN EUNDEM.

CAROLE, mirabar tua funera pectore vol-
 Augusto augustū mense perire virū (vens,
 Scilicet & Clotho mensis temeravit honores,
 Hoc URENHO VIO tristia busta parans.
 Et primum letus fusco sua terga colore.
 Occuluit mensis fata severa gemens.
 Ergo angusta dies condigno nomine dici

Debuit

Debuit, hos gemitus, hasq; ferens lachrymas.
 Ut doctrina subit, pietas, virtusq; fidesq;
 Quas non exstinguit stridula flamma rogi:
 Tum diversa meæ surgit sententia menti,
 Quæ stabiles vero promittit ab ore sonos.
 Est augusta dies his, qua Romana triumphum
 Augusti haud celebrat læta iuventa ducis:
 Sed qua caelesti morientem excepit ab arce
 Angelici vatem læta caterva chori.
 Cujus facta manent, operosæq; gloria Musæ
 Contigit Eoos Hesperiosq; sinus.

EIUSDEM IN EUNDEM

Sapphica

Cum Anagrammate,

CAROLUS UTENHOVIUS

TUUS HONOS CEU LAURI.

O Mine incluso tituloq; nomen
 Sæpius gaudens referat futura
 Carole, id vestrum docuisse versa
 Littera monstrat.

Nam viget semper celebris tuus ceu
 EST HONOS LAURI fugiens salacem
 Delium Daphne reperit vi rentis
 Frondis honores:

Dum lares gratos patriæ relinquis,
 Carole, ut scortum fugias, Quiritum
 Quod regit colles, retines perennis
 Præmia famæ.

*Ut viret laurus, decoratq; crines:
Sic vigent laudes, variosq; honorant
Metra doctrinae monumenta, Musa*

Quae tua fudit.

*Innuba haec quamvis superos reliquit
Non caret cultu, thalamosq; multi
Ambiunt; doctos ea sola cuncto*

Vrit amore.

*Carolus nullam sobolem reliquit:
Hunc tamen semper coluit parentem
Ceu suum, fido colit & piorum*

Pectore turba.

*Quaesit musis, genuitq; Christo
Liberos, summa pietate sacri
Collis ostendens iter, ut docendi*

Arte valebat.

*Gandavum primo decoravit ortu,
Nomen ad terras volitat remotas,
Spiritus servat polus, illius Coz
lonia corpus.*

Ts



Τῷ αὐτῷ ἕως τὸν αὐτόν.

Κάρολον σὺν ἀλίζῃσιν ὑποκνήσαντα πόνοισιν
 Τηλόδι τῆς πατρὸς οὐκ ἐλάττω μῦθον κραταίην,
 Οἰκισμὸς μερόπων σὺν δὲ θεῶν ἤλυθε φήμη,
 Καὶ σὺν παρ' ἡνίκας μεγάλης Διὸς ἀγλαὰ τέκνα,
 Πρὸς ᾧ θεὸς ἑπεὶ εἰς Ὀλύμπῳ δώματ' ἔχοντες.
 Δὴ τότε Ἀχαιοὶ πίνον θῆος χόρον ἡλθεν εἰς αἶον.
 Τρεῖς γάρ εἰς Πάριον ἦεν, ξυῖ Πάριον δ' Ἀπόλλων
 Πᾶσι δὲ Μνημοσύνης, καὶ θεῶν πᾶσι γένετο.
 Ἐν δὲ πατρὶ γένετο αἰ Μυαῖα ἐγερφοὶ αὐδῶν,
 Ἐν δὲ κλέει καὶ ταῖς μεστέων ΚΑΡΟΛΟΣ ΟΥΘΕΝ
 ἢ ΟΥΒΙΟ ΣΟΙΖΕΙ, ὅν πάλλας πᾶν αἰ δὴ δάξεν.
 Ἀφθιγὸν ἔκλυον πελὶς καὶ μήποτ' ὀλέσται.

Τῷ αὐτῷ.

Ἐν δὲ ὄχρῳ φανερόν Μυστῶν γαῖα καλύπτει
 Τὸν μὲν γὰρ κῆρυγμα, πᾶσι δὲ Ὀλύμπῳ ἔχεται.

TIRONS AU CIEL.

G 4



REGRETS SVR LA MORT
DE MONSIEVR UTENHOVE.

Harpocrate pensif, triste, morne, aime. somme
Or as tu fait valoir ton pescher & ton loup,
D'une lugubre main retenant en vn coup.
La langue d'Apollon, des soeurs, & d'Angeronne.

Le docte Delphien sa lyre plus nentonne,
Le saint Choeur est retif sous vn autre moussé,
La mere d'Aëlion a le front herissé:
Berecynthe avec eux iette ius sa courronne.

Le Smynthien se deult de perdre son sonneur,
Le Choeur son nourrisson. Angeronne son heur,
Et Cybele son bien par le rapt d'UTENHOVE.

Non, leur dit le Destin, iacoit que le cercueil
Emprisonne Ses os, ostez pourtant ce dueil,
Car pour iamaïs son los sera d'innire sauue.
Au mesme.

Ce qu'est douceur au miel, & la fleur a l'herb'age:
Ceres sur nos guerets, a nostre chef les yeux,
Aux nymphes le beau teint, & Phoebus par les cieux
UTENHOVE l'estoit parmi ceux de son aage.

Nature en luy monstroït vn trespas fait ouurage.
Ce n'estoit que douceur, que foy, que charité
Que scauoir, que vertu, qu'amour, que verité.
Qui dardoit ses rayons par ce terrestre ombrage
Quand

105
Quand Dieu l'appelle ainsi, Athlete glorieux,
Au lieu de verd laurier Je te donray les cieux,
Monte. car le monde est d'un tel thresor indigne.

Il eust dit, lors soudain l'esprit au ciel vola,
Le corps roide & sans pouls au tombeau deuala,
Et son renom remplist ceste ronde machine.

Dan. Tael Payernois.

Quadrain

Chronologique comprenant le iour, le
mois, & l'an de la mort de Monsieur
C. U T E N H O V E,

Vtenho V e Chen V tressa V ant & tressage
Trespasfa Dans Co Logne; entrant aV port heV re V X,
A Ins I Q V e se passoit, LA V g V ste Cha Le V re V X;
AV sa L V ta I re aborD, parfa lant son V oyage.

David le Clerc L.

G 5



Ein Teutsches Acrostichis, welche
Fr. Margretha Frehers eine gebor-
ne von Bockin / ihrem lieben Vetter /
vnd in der Hebreischen Sprach gewesen
Rabino oder Lehrmeister zu danckbarer ge-
dächtnuß / auff sein selige heimfarth ge-
macht vnd nachgelassen.

Kein kunst/verstand/befind ich is/
Auch keine klugheit / sinn vnd wis/
Rechtfertigkeit/Gottsforchtigkeit/
Odr was man rühmet weit vnd breit/
Leichtlich dem schlaff kan widerstehn
Viel weniger dem todt entgehn.
Teutsch/Welsch/Franzosi/ich wol verstandt/
Habs gredt geschribn/auff rechtem grundt/
Der Heiligen sprach ein außbund gar/
Ein Griech/Lateiner/ fir ich war/
Noch als ich was zu ruh hingangen/
Hat mich der tödlich schlaff vmbfangen/
Ohn alle klag/sorg/angst/odr pein;
Vor solchs ich Gott mag danckbar sein.
Ein seligs ort mir bas gefelt/
Nur VTH DEN HOVEN dieser Welt.

Gende

Vtenhoff gar aLt ꝛV CöLLn stirbt

Sendt

Ohn endt

Ben jederman

Deß lob wird han

Daf sie erst bracht auff diese Welt

Den UTENHOVIUM außerswelt

Von Gott/daf er der Christengmein

Ein Verlein köstlich wer vnd rein.

Der Gottesforcht/holdeseligkeit

Ein Spiegel war zu allerzeit.

Mildt/gütig frey/

War auch darben.

Der MUSEN schar

Ein ziert er war

Im Hebraisch

Hat tum seins gleich

Griechisch Latein

War ihm gemein.

Darumb bey Keysern Fürsten Herren

Gehalten wardt in grossen ehren

Bis an sein endt. Sein fleisch/gebein

Alhie schläfft vnder diesem stein.

Sein Schl in frewdt Gott bey sich helt/

Sein Nam lebt ewig in der Welt.

Den Leffen XV gff: ein gVt et VVirt

VVELCHS NICHT VERDIE

*Guil. Fabric. Hildanus cum
mærore & lachrymis**L. M. Q. P.*

Deo reLigiosè VIXIt annos seXagInta qVatVor Menſes qVatVor.

INDEX CAPITUM

*hoc in libro comprahen-
sorum.*

Cap. I.	Definitio & causæ combustionū, fol. I.	
II.	Gradus & distributio combustionum in tres species, item ex quibus Indi- cationes curativæ petendæ,	4.
III.	Signa quibus tres illi gradus combu- stionum cognoscēdi & distinguen- di,	6.
IV.	Prognostica combustionum,	7.
V.	De duplici methodo combustionum curandarum,	10.
VI.	Curatio primi gradus Combustio- num,	14.
VII.	Curatio secundi gradus Combustio- num,	21.
IIIX.	Curatio tertii & ultimi gradus Com- bustionum,	25.
IX.	De Combustionibus ad oculos,	32.
X.	De Combustionibus Inguinum,	38.
XI.	De Combustionibus Iuncturarū,	40.
XII.	De Dolore ejusq; curatione	41.
XIII.	De imbecillitate visus,	44.
XIV.	De Cicatricū turpitudine earundem- que ablatione,	53.
XV.	De retractis nervis & incurvatis jun- cturis post combustiones,	57.
XVI.	De Fulmine, & quomodo eis qui ab eo læsi, sit succurrendum,	69.